
6
2

ACTA
SYNODI DIOECESANAE
VERCELLENSIS PRIMAE
QUAM

Excellentissimus et Reverendissimus D. D.

ALEXANDER
EX MARCHIONIBUS D'ANGENNES

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

SANCTAE VERCELLENSIS ECCLESIAE ARCHIEPISCOPUS

HABUIT ANNO DOMINI MDCCCXLII

DIEBUS 7 8 ET 9 IUNII

PONTIFICATUS SS. D. N.

GREGORII PAPAE XVI
ANNO DUODECIMO



VERCELLIS
EX TYPOGRAPHEO ARCHIEPISCOPALI CERETTI.

Nova, et vetera .... servavi.

Cant. 7. 13.

INDICTIO SYNODI

BASILICAE METROPOLITANAE VERCELLENSIS

ALEXANDER

EX MARCHIONIBUS D'ANGENNES

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS VERCELLENSIS

ET COMES

EQUES TORQUATUS SUPREMI ORDINIS VIRGINIS SS.

AB ANGELO SALUTATAE

MAIORIBUS INSIGNIBUS

RELIG. ET ORDIN. SS. MAURITII ET LAZARI DECORATUS

PRAELATUS DOMESTICUS ET ADSTANS SOLIO PONTIFICIO

SS. D. N. D. GREGORII XVI. PONTIFICIS MAXIMI

DILECTISSIMIS FRATRIBUS, ET FILIIS IN CHRISTO,
DIGNITATIBUS, CANONICIS, PAROCHIS, UNIVERSOQUE CLERO

CIVITATIS ET DIOECESEOS

PACEM ET SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM

Redemptor Noster Caelesti pace hominibus renuntiata, ut charitatis suae pignora tanto pretio acquisita linqueret, quae singulis ad salutem inservirent, Ecclesiae suae fundamenta aeternum mansura iecit, in qua Ministri adessent Divinorum munerum dispensatores omnimodaque adiumenta Ministerii abundanter ipsis tribuit.

Petrum sibi Vicarium, ut Caput esset et Pater universae Christianae gentis, constituit, atque eius Cathedra Fidei unitatis centrum a fidelibus haberetur, edixit; Apostolos deinde, eorumque successores Episcopos, quorum opera, et studio sub illius Principis regimine asseclae ad caelum ducerentur pace in aevum fruituri, quosque mirabili potestate roboravit.

Sanctum ad hoc opus animum advertentes, quo sapientum consilio gravia Ecclesiae negotia sanctiori modo peragerentur,

Summi Pontifices, Apostolorum more, omnes Episcopos persaepe coegere, ut ingruentibus Ecclesiae necessitatibus consuleretur, maioribusque malis obsisteretur. Hi enim coetus rite congregati, probatique, accedente potissimum Spiritus Sancti lumine, nullum errandi periculum reformidant.

Hisce exemplis inhaerentes Episcopi, atque Pontificum et Conciliorum auctoritate suffulti, Ecclesiarum sibi peculiariter commissarum Clerum colligere consuevere, ut Ministrorum sanctitas, fideliumque salus plenius promoveretur; idque ea ipsa frequentia qua rerum et temporum ab adiunctis sineretur et necessitas posceret, quum facilius singularia, quam generalia Concilia haberi possint.

Patent ubique gentium ea quae sanctorum Praesulum diligentia celebrata fuere: atque ne a Nostra evagemur Ecclesia, quae magni EUSEBII nomine auspicioque clarescit, omnes compertum habemus quot quantosque labores Praedecessores Nostri exantlarint, fortissimi illius Fidei propugnatoris zelum prosequentes.

Namque praeter celebre Concilium Vercellis habitum contra Berengarium, iam pridem saec. X Atho literarum scientiarumque instaurator, idemque scriptor egregius, de Synodi convocatione praeclara dictabat, multa ex his conventibus emolumenta consecutura pollicitus. Ioannes Stephanus Ferrerius postmodum legibus in Synodo latis Ecclesiasticorum moribus probe prospexit.

Vix tandem absoluto Tridentino Concilio, Cardinalis Guido Ferrerius, qui illi intererat, Decreta Clero suo exhibuit Tridentina et Synodalia. Nec multo post immortalis Bonomius, et sequenti saeculo praeclarus Broglia (nomina aeternum memoranda) Synodos varias habuerunt. Quis porro eas ignorat, et quanta ex illis in Clero sanctitas et in Christiano populo pietas affulsit? Saeculo tandem medio nuper exacto Solarii Constitutiones emersere, quas optimis refertas doctrinis, et monitis, copiosoque et eleganti stilo exaratas Episcopi posteriores ratas ha-

buere, temporum rerumque vicibus, ne novas conficerent, distenti.

At nunc cum omnia favent, muneris Nostri ducimus prioribus quas intemeratas linquimus, aliquas dumtaxat addere leges temporum circumstantiis accomodatiores, quasque annorum lapsus repetunt. Neque enim Nobis sumus arrogaturi, ut veterum sapientiae quidquam detrahendum arbitremur, quinimo ipsorum scita ut salutaria, omnique reverentia digna habenda esse autumamus.

Prae oculis itaque a Praedecessoribus nostris decreta, potissimeque a f. r. Episcopo Solario proposita et promulgata habentes, novum Codicem, Ven. Fr. vobis exhibebimus, quo Dioeceseos Nostrae disciplina pristino eodem robore polleat, Fides eadem firmitate continenter potiatur, et in vinea Domini malis, si fortasse aliqua pullularint, radicitus avulsis, boni mores, Religione tutante, secundentur et adolescant.

Iam oves Nostras invisimus, deque Collaboratorum Nostrorum laboribus, ac zelo gavisi sumus, quaeque per temporum rerumque adiuncta illico decernenda erant, fieri iussimus, Deoque favente officiorum nostrorum uberes fructus contraxisse non sine spe sumus. Reliquum nunc est ut hisce omnibus in unum collectis firmiori atque generali sanctione provideatur.

Sanctam ergo Synodum vobis annuntiamus, Fratres, atque Filii in Domino Carissimi: ipsaque sumet initium mane diei 7 proximi imminentis Iunii hora 7 mat. duobusque sequentibus diebus duratura.

Itaque in primis Vos, Metropolitanae Basilicae decus Consiliarii Nostri, Dignitates, et Canonici; tum Collegii cuiuslibet Canonicos, animarum Rectores, etiam ad tempus, quocumque titulo adpellatos; dein quoslibet Sacerdotes audiendis Confessionibus approbatos, et aliquo Beneficio aut Capellania donatos; Clericos tandem etiam in minoribus Ordinibus constitutos, omnes uno verbo, qui iure aut consuetudine Synodo adsistere debent, vocamus, iubemus suis quemlibet insignibus indutum, in Basilica Nostra D. Eusebio dicata interesse dictis supra diebus: et

nemini liceat, Nobis inconsultis, vel non approbantibus, nec abesse, nec conventum nondum absolutum deserere. Neminem huic Nostro mandato non obtemperaturum constanti mente credimus. Nam summopere moereremus adversus inobsequentes animadvertere.

Cum hae Literae patebunt, cuiuslibet Parochi munus erit populo explicare quae gravitas, quae utilitas huiusce Sacri Conventus habendi. Cumque a Patre luminum descendat omne bonum, addetur a publicatione praesentium oratio de Spiritu Sancto in singulis Missis, et quoties cum Venerabili erit impertienda Benedictio, et gregem hortentur, ut suas adhibeat preces: ac insuper postrema festiva die ante Synodi celebrationem, SS. Eucharistia exposita, Lytaniae maiores canantur, ut Divinam opem omnes simul Beatae Mariae Virginis, et omnium Sanctorum patrocinio suppliciter adprecentur.

Ante discessum invisant Parochi aegrotos, quos habent, et Sacramentis muniant, ac Gregis curam committant idoneo Sacerdoti Saeculari vel Regulari etiam ex aliena Dioecesi, dummodo Confessarius sit: ad quod officium et Nos probamus, addita ipsi insuper facultate absolvendi ab omnibus culpis reservatis absque ulla exceptione, ac Benedictionem Papalem in mortis articulo impertiendi. Si quae difficultas in his exequendis oriatur, a Nobis consuletur.

Iter habentes eam praeseferant modestiam, ac gravitatem, quam semper notam facere omnibus hominibus praecipiebat Apostolus, quaeque tunc potissimum decet ac praecipitur, cum ad tale et tantum opus quisque progreditur.

Hospitiorum Praefectos nominabimus, qui intensiori, qua fieri poterit diligentia, curabunt ut maior convenientium numerus in Religiosis domibus hospitaliter excipiatur: caeteri ad propinquos vel amicos divertant: ad cauponas nemo.

Ut autem recto opportunoque modo in hoc agendo procedatur, Parochi omnes integro ante Synodum mense notulas ad

Nos mittere ne praetereant, quibus describantur nomina, dignitates, et alia quae nosse oportet illorum omnium, qui vocati sunt, ut convenienti ratione omnibus prospicere valeamus.

Deum interea bonorum omnium largitorem quotidie atque ex animo obsecrabimur et Nos, ut quae ad Divini cultus incrementum, ad Clericalis Ordinis decus, Ecclesiasticae disciplinae integritatem, Fideliumque qui Nobis traditi sunt salutem statuenda erunt, feliciter absolvantur; et Ipse qui dat velle et perficere, nostra imbuat corda, ut eius voluntati obtemperemus.

Ne quis denique Nostra haec mandata ignorasse praetexere queat, hascę Literas ad Basilicae Nostrae Metropolitanae omniumque Ecclesiarum Parochialium valvas rite affigi, hancque promulgationem, ac si fuissent singulis, quorum interest, denuntiatae, vim habuisse et habere volumus.

Dat. Vercellis ex AEdibus Archiepiscopalibus die 10. Aprilis 1842.

✠ ALEXANDER ARCHIEPISCOPUS.

PASTORIS *Cancellarius.*

CAPUT I.

De Fide.

I. Ut susceptum consilium quum primum ad Eusebianae Ecclesiae Synodum cogendam cogitatio Nobis animo insedit, ad optatum finem promoveatur, nihil antiquius esse perpendimus, quam in ipsa fronte obsecratione humili contendamus, ut quod instituimus, Deus O. M. bene fortunet atque obsecundet: et quod opportunum fore duximus, ita etiam sit auspicatum.

Fluxae verum spei, irritaeque prorsus caderent supplicationes, nisi a fide exordiremur, caeterarum virtutum principio ac fundamento; sine qua nulla est iustificatio, nemo Deo placere potest, nihil mortales apud Deum promereri; per quam ad illum accedimus, illi preces adhibemus.

Munus ergo illud praecipuum, Divino Beneficio nobis impertitum, ut sartum tectumque tueamini adprecamur, atque ut a maioribus traditum accepimus, sic integrum, intemeratumque pro viribus propugnemus; ita ut singula, quae credenda a Catholica Ecclesia in medium afferuntur probe excipiamus, exceptis adhaereamus, strenueque profiteamur. Fidem enixe vobis ita cordi esse volumus, ut maiori studio, animique sollicitudine commendare nequeamus; ad quam, sanctione capitis, tuendam, si tempus ferret, spiritus esset profundendus. Omnes urgemus, ab omnibus vehementer petimus primis initiis, ut cunctis opibus illam iuverint atque provehant.

II. Et hic se se vobis ultro sistit germana facillimaque ratio, ut fidei dilatandae opem afferatis, quoad mortalibus datur opus tueri, quod iam a manu Altissimi suffulcitur. Et quoniam ea

degimus aetate, qua summa D. O. M. gratia, fides undique splendidissime triumphat, ea aetate, qua Redemptionis arbor altius validiusque suas roborat radices in longinquioribus orbis regionibus; neque divinum illud effatum continenter adimpleri desinit, *in omnem terram exivit sonus eorum*, nobis eaedem semper uberiores sunt gratiae habendae Largitori summo omnium bonorum, qui nedum manum suam super gregem electum abbreviasset, eo latius thesauros suos aperuit, suas patefecit benedictiones. Quotidie ad nos referuntur iucundissimae Apostolicorum laborum narrationes, tot illustrium virorum casus, qui ad missiones in ultimas, divisasque toto orbe terras se tradiderunt; qui sancto zelo flagrantes parentum iucundissimo consortio, patriaeque conditionisque oblectamentis, sodalibus, propinquis aeternum, ut fere fit, valedicunt in barbaras regiones peregrinaturi.

Ut Evangelii lucem caligantibus oculis pandant, ut idololatriam evellant, efferas consuetudines e medio gentium deturbent, ut ritus silvestres immanesque exscindant, tot maria adeunt, tot solitudines pervagantur: ut praecepta Caritatis et pacis rudibus adhuc animis insuetisque loquantur, ad quorum duras aures primum nunc horum suavium verborum sonus pervenit; ut humanitatem, salutem, modum scelerum expiandorum renuncient, ut angelorum panem illis frangant atque ministrent.

Insulae a belluis, vel ab hominibus, qui ab illis parum discrepant, inhabitatae iam cervicem sanctissimo lavacro inclinant: tribus nomadum qui hactenus venatu vel raptu victum infelicem quaeritabant, iam domicilia posuere, iam palantia tentoria in unum coegere, iam aras templaque excitarunt. Illis in sylvis ingentibus, ubi silentium ab omni retro aetate longe lateque dominabatur, neque mortalis vox ulla exaudiebatur sed sibilis tantum fremitibusque ferarum personabant, nunc novalia exercentur, segetes flavescunt, innumerae gentium turbae coram Sacrificio incruento genua animumque deponunt,

unum Deum venerantur, unam fidem profitentur, unum ovile constituunt, unum pastorem salutant.

Nulla periculi facies, nulli labores, morbi nulli, inhospitaeque Caeli plagae generosos novorum Apostolorum spiritus deterrent; non mors denique magnanima illa pectora remoratur. Alacres ad currendam viam, vestigiisque priorum Evangelii praeconum inhaerentes idem praemium expostulant, eidem fortasse martyrii diademati anhelant. Atque iucundissimo gaudio perfundimur testimonium posse perhibere, inter fortissimos illos, qui opere, verbo et sanguine vineam Christi exercent, nonnullos esse ex Dioecesis huiusce alumnis, qui tam periculosam sed quoque tam magnificam Sacerdotalis ministerii partem perficiunt.

Verum, si Deus O. M. haud singulis eamdem impertiri gratiam dignatur, ut eodem zelo ad vindicandas ab aeterno interitu animas accendamur, omnibus saltem datur ad hoc opus studia nostra conferre, amplificationemque fidei promovere.

Neminem praeterit, ab anno usque 1822 in urbe Lugduni, pientissimum doctorum religiosorumque virorum sodalitium fuisse excogitatum, qui maiorum suorum zelum aemulantes, post luctuosam teterrimamque cuiusdam tempestatis vicissitudinem, animo incubuere ad id peragendum quod iam feliciori ante aetate conficiebatur: et ita manum piam tollebant ad arcam sustinendam paulo ante ab impiis manibus labefactatam. Gravissimum hoc nobilium animorum consilium summopere Deo acceptum, invitis obstaculis quae a malignante tenebrarum spiritu fuerint suscitata, mirum in modum percrebrescere coepit, atque validissime adolevit; atque unde labes, infando saeculi tractu, fuerat debacchata, inde medela, inde subsidium venit. Iam Italia, iam complurimae Europae partes huiusce meriti, immo ne beneficii dicamus, participes adsunt, et Paradisum hoc modo violenter rapiunt: iam fructus amplissimi colligebantur; donec Sanctitas Summi Pontificis Gregorii XVI feliciter Christianitatis solium occupantis (et tantum virum diu servet inco-

lumem Pietas Caelestis) suprema sanctione anno 1837 adprobavit, atque sub oculis suis tam salubrem societatem statutam voluit, eam tuetur, eam innumeris Indulgentiis, Supremus Auspex, locupletando confirmavit. Quamobrem maximopere laetamur, dum animo reputamus, omnes animarum Rectores aut iam piae Societati operam dedisse, aut fore daturos: assidue ad Nos referuntur hortationes, quibus vigilantiae, et caritati fidelium hoc optimum sodalitium commendare non desistunt; atque hoc modo novas sibi vias sternunt ut de Sacerdotio, de Deo, de Fide bene mereantur; sic denique tot gentium animabus succurrunt, quae aeque pretio inaestimabili Sanguinis J. C. redemptae fuerunt, et ob deplorabile infortunium adhuc in vinculis Satanae ingemiscunt, adhuc in umbra mortis sedent. Quaquaversus ergo, Fratres, Fidei campus ob oculos vestros patet: quisquis levissimo sacrificio potest sempiternam sibi, innumerisque aliis salutem thesaurizare: semper et assidue uniuscuiusque menti conscientiaeque obversetur, tam minima oblatione singulos potestatem habere ante thronum Altissimi complurimas animas redemptas praemittere, quarum supplicationes proderunt mirum in modum ad nobis pacem, veniam, misericordiam, et praemium vitae nunquam interiturae comparandum. Provehatur ergo ab omnibus enixe tam sancta Institutio, et ex quo haec Dioecesis inter primores illam laeta fronte amplexata est, continenter ut eamdem tueatur cum caeteris decertet.

III. Nunc quum quaeque ab Ecclesia credenda iubentur, eadem a Christo veritatis auctore, et ab Apostolis tradita sint, hinc nihil iis detrahi fas sit, simulque quae praescripta leguntur obsequenter amplectamur, propterea que illis acquiescendum ac voluntate morigerandum: quae infallibili definitione a Conciliis de dogmate, et ad haereses profligandas, ad mores informandos, vel de disciplina confirmata, aut sancita sunt, veluti certissima mandata spectemus, et quae anathemate percelli statuerunt, pariter abominemur.

IV. Eadem religione amplectamur et toto corde exequamur quae a Romano Pontifice, Summo Ecclesiae universalis Pastore traduntur, vel sanciuntur. Definitum enim novimus a Florentinis Patribus Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.

V. Et quum praeterea nulla aetas pravorum codicum et insanae sapientiae feracior fortasse extiterit saeculo nuper elapso, et ad profana vitanda Episcopus teneatur (1), quidquid turbulenta haereseon illuvio excivit ad corruptelam et ad impietatem alendam, quidquid ad Romanae Ecclesiae auctoritatem infirmandam pervicacia ingenia delirarunt, execrabile esto.

Monitiones igitur et praecepta, quae ad teterrimas opiniones exundantemque malitiam coercendam prodierunt, ut integra germanaque morum institutio servaretur, et pietas fidelium labefactata excitaretur, sancta et rata habeantur.

VI. Et quamvis in errores et in errorum opifices iam satis sit animadversum, et non egeant aperta mendacia confutatione, meminisse tamen omnes expetimus quod Ieremias lamentabatur (2). *Falso Prophetae vaticinantur in nomine meo: non misi eos, et non praecepi eis, et non sum locutus ad eos: visionem mendacem et divinationem fraudulentam et seductionem cordis prophetant vobis.* Ideo vos cautos esse admonemus, ut ad id praecipue agendum excubetis, et assiduam et sollicitam operam, studiaque vestra omnia conferatis, ne latius, si quid irrepserit, ingruere patiamini.

VII. Atque utinam labes illa a perditissimorum sententiis effusa tantummodo unde erupit, se prodiisset, et nunquam citra

(1) Ad Tim. 2. c. 2. (2) Cap. 14.

Alpes et huc usque transiliisset! Verum Italiae fines pervagati sacrorum ac Religionum omnium infestissimi hostes, verae pietatis contemptores, totius disciplinae vecordes eversores, Catholicae Ecclesiae quietem in ipso suo sinu violarunt.

Caecutientes ergo istos, qui malitiose caligantes a recto salutis tramite aberrarunt, atque alios abducere conantur: qui universae Ecclesiae sanctissima decreta, sacra, profana omnia pessumdare satagunt: qui libros sanctos et eorum abditissimas sententias soli pervidisse credunt, Doctores Fidei fuisse allucinatos, qui nullius neque Sanctorum Patrum, neque Pontificum tam acre unquam extitisse iudicium ut cum suo sit conferendum: eosdem, quamvis iam Canonum auctoritate perstrictos, et praesertim Constit. Pii VI (1) reprobatos noverimus, eosdem, iteramus, arrectis oculis ab unoquoque perlustrandos instamus, atque ab eorum consortio cavendum. Ea enim est illorum ingenii contumacia, ut quod aliquando moliri coeperint, in eo haereant, atque animum praefracte obstinent.

VIII. Sapientissimas ergo quaslibet animadversiones quibus Romani Pontifices nefarios hominum perditorum coetus perduelliumque conventus diris devoverunt, qui longe lateque Europam foede deturparunt, et iura omnia divina et humana funditus evulsuros inepte sibi pollicentur, et praesertim Const. Leonis XII incip. *Quo graviora*, Parochi interdum Fidelibus perlegant atque explicent. Ipsosque insuper moneant, irritum prorsus esse sacrilegumque illud iusiurandum quo invicem impiae sectae nuncupati devinciuntur, silentioque, morte proposita, indicto.

IX. Pastores quoque caveant ne quis perniciosos libros, aere vel lapide caelatas imagines moribus, legibus, vel principibus adversantes invehat, clam vel palam divendat, vel quacumque alia ratione evulget, vel retineat domi, et legat: poenas ab Ec-

(1) incip. *Auctorem Fidei.*

clesia constitutas in ipsos legentes, retinentes, vendentes, saepius denuntient; atque ut omnia probe dignoscant nihilque ex typicis officinis editum eos fugiat, Indicem Librorum prohibitorum, tum posteriora S. C. Indicis decreta studeant sibi adipisci.

X. Quum Societas quaedam *Biblica* appellata, quoquoversus fieri impune potest, Biblias impie disseminare annitatur in vernacula gentium idiomata translatas secus ac Patres et Ecclesia sunt interpretati, ac sententiis pessime a germano et integro sensu abhorrentibus, omnes Parochos urgemus, ut totis viribus contendant, ut gregem sedulitati eorum creditum a contagione avertant et tueantur, fidelesque commonefaciant, minime fas esse quascumque Divinae Scripturae in vulgares linguas interpretationes perlegere et prae manibus habere, sed eas tantummodo quae ab Apostolica Sede adprobatae sunt, vel Sanctorum Patrum, doctive Catholici Auctoris adnotationes et commentaria aperte praeseferant: nefas demum esse Biblica verba aut effata ad profanos usus detorquere.

XI. Moderatores Paraeciarum etiam quam diligenter cautionem adhibeant, ut si aliquis pseudo-propheta intra Paraeciae suae terminos irrepserit qui Fidei dogmata aut ecclesiasticos ritus et disciplinam inconsulta temeritate denegare aut spernere audeat, vel propositiones ab Apostolica Sede aliqua nota damnatas effundere, illi resistant, et quam citissime procacem explorent et Nobis significent, ut animarum periculo occurratur: populoque indicent hos denunciandi obligationem; ne dum illos qui nomen Dei, B. M. Virginis vel Sanctorum haereticali protervitate blasphemant, ausuque temerario maledicunt, aut in sortilegiis abutuntur: a quo officio minime exceptos poenitentes esse sciant, denegata contumacibus absolutione (1).

XII. Quum autem summopere intersit, ut qui ad ecclesiastica munia obeunda se sistunt, vera fide se se imbutos testen-

(1) Decret. S. Inquis. eiusq. Instr. 10 Mart. 1677.

tur, Nos Tridentini Concilii et Pii IV constitutionum auctoritate confisi, eiusdem Pontificis formula retenta quam ad calcem adiiciemus, edere professionem Fidei intra duos menses a die adeptae possessionis coram Nobis aut Vicario Nostro Generali eos iubemus, et qui ad Beneficia assumentur, sive animarum regimen, sive nullum habeant animarum moderamen, et quos dignitate, canonicatu, aut beneficio residentiali provisum iri contigerit: tum eos etiam (sive saeculares sive regulares sint), qui primum concionatoris aut ludimagistri officio fungi voluerint, tum omnes confessarios qui ad excipiendas sacramentales confessiones fuerint adprobati, nisi illam iam in alia Dioecesi se emisisse confirmaverint, caeterosque in praefata Pii Pontificis IV constitutione descriptos.

XIII. Praestantissimum tandem fidei donum, sicuti Dei in nos, quibus tantum bonum concedere dignatus est, benignitatem effusumque amorem ostendit ita ad exultationem simul atque ad grata erga Patrem luminum sensa animos nostros debet excitare. Cumque plus ab eo requiratur cui plus conceditur, et eo magis crescant rationes donorum quo magis augentur dona, nobis, qui splendescere debemus tamquam lucerna in tenebricoso loco, maxime incumbit hac fidei face potissimum praelucere, ut fideles aestimationem quam nos de tanto beneficio facimus perpendentes, discant hoc pluris aestimare et quod fide credunt promptius operibus exequantur. Alte namque clamat Iacobus Apost. (1) fidem sine operibus mortuam esse; et fidei probationem esse exhibitionem operis docet Greg. Magn. frustra proinde quis tenet fidem si bona non adiungat opera. Totis ergo satagite viribus, animarum Rectores caeterique de hoc lectissimo Clero, qui tum verbi Dei praedicatione, tum recte factorum exemplo fideles antecellere debetis, totis, inquam, viribus satagite, ut quid fide credendum, quid agendum sit probe

(1) cap. 2. v. 26.

noscant, exultent ut gigantes ad divinorum mandatorum viam currendam, et in caelo bonorum operum fructus abunde congregent, et sic vobiscum, qui fulgebitis tamquam stellae in perpetuas aeternitates oves pastoribus iunctae immarcescibilem gloriae coronam, Deo dante, adipiscantur.

CAPUT II.

De Doctrina Christiana.

I. Divinissimum charitatis officium, et pastoris munus indeclinabile, instructio: *Ite, et docete.* Quare Apostolus: *Vae mihi si non evangelizavero!*(1) Hinc Pastores, caeterique Ecclesiae ministri satis intelligunt quanto studio sibi sit incumbendum, ut ignaros erudiant, provecta si quos inveniant aetate, puerulos edoceant, et plebi sanctissimam Christi Doctrinam explanent, et panem Evangelii frangant, ut vitiorum omnium parentem, ignorantiam scilicet, exturbent. Meminerint verba Domini ad Esdram(2) *Ecce loquere in aures plebis meae sermones prophetiae.* Et (3) *Attulit ergo Esdras Sacerdos legem coram multitudine virorum et mulierum, cunctisque qui poterant intelligere.... et stetit omnis populus.... flebat enim.....*

II. Omnes itaque animarum moderatores singulis diebus Dominicis, et festis de praecepto, nulla anni parte, nec feriarum, excepta, nulla aestus caloris, aut frigoris simulata specie, Fidei elementa pueris, et rudi populo proponere, atque aperire debebunt. Dato hora convenienti ante Vesperas speciali campanae signo, quo fideles convocentur ad templum, missis etiam, si e re erit, gravioribus auctoritate viris, qui vias obambulent, pue-

(1) Ep. I. ad Cor. 9. (2) Lib. IV. c. 15. (3) Lib. II. c. 8.

ros colligant, et in Ecclesiam veluti introire comi et miti efflagitatione urgeant. A Pastoribus saepe saepius parentes moneantur, ut sobolem ad Catechismum mittant, atque excubent, si tunc temporis pueri sui Ecclesiam adeant, eosdem, si res postularit, comitando. Omnibus insuper suadeant neminem sive integrae, sive longevae aetatis eos etiam, qui sibi iam eruditi videntur, ne ad Ecclesiam accedant, divinumque de mysteriis Fidei, de praeceptis, et de' Sacramentis verbum tam æternæ saluti necessarium hauriant, exceptum iri.

III. Ad Ecclesiam convocati, omnes ad altare genuflexi, sexu ab altero semoto, Parocho, sive alio praeeunte, clara voce, populo iterante, canant, vel recitent signum sanctae Crucis, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum, Decalogi praecepta, et Ecclesiae, ac demum septem Sacramenta. Atque ad confusionem vitandam, et ut magis proficua reddatur instructio, tum pueri, tum puellae in tot classes quot erunt necessariae tribuantur, ita tamen ne unaquaeque triginta, quoad fieri potest, puerorum numerum praetergrediatur. Nemini demum fas sit e classe discedere, vel ad superiorem transilire, nisi prius periculo facto se novisse sedulo, quae in inferiori classe ediscenda traduntur, probaverit.

IV. In excipienda instructione, omnes Catechistae catechismo pro Dioecesi circularibus litteris Nostris approbato, et praescripto utantur, ipsum manu teneant, neve ab ipsius ordine discedatur.

V. Eodem temporis momento quo pueri in classibus erudiuntur, vel Parochus, vel quisque sciens Ecclesiasticus vir e Presbyterii cancellis unum alterumve maioris Catechismi caput ordinatim ad interrogationis instar interpretetur.

VI. Haec puerorum instructio ad tres saltem horae quadrantes producatur.

VII. Ad tenellos puerorum animos alliciendos plurimum proderit munuscula quaedam, sacras ex. gr. imagines ipsis proponere, ut spe praemii arrecti quis promptius, et melius dicat ala-

criter decertent: ad haec munuscula vero sibi comparanda Parochi aut Doctrinae Christianae eleemosynas conferri studeant, aut pia alicuius liberalitate, vel alio modo provideant.

VIII. Quum autem unius Parochi solertia, et labor ad omnes suae Ecclesiae fideles instruendos impar sit, omnibus idcirco Capellanis, Sacerdotibus singulis, ac Clericis praecipimus ut Parocho in tam gravi officio opitulentur. Quare neque ad primam tonsuram, neque ad Ordines Clerici provehentur, nisi, Parocho teste, adfirment se huiusce legis fuisse observantissimos: Sacerdotibus etiam, et Capellanis, qui hoc opus nihili duxerint, adprobationis literae ad Confessiones excipiendas, ad munus Capellani obeundum, earumque literarum confirmationes, si expedierit, abnuentur: et ad officia, et beneficia Ecclesiastica eos dumtaxat promovebimus, qui toto pectore huic sanctissimo muneri operam navarint.

IX. Capellani etiam qui diebus festis sacrum in sacellis campestribus absolvunt aliquantum a Parochiali Ecclesia dissitis, iuxta summorum Pontificum decreta in dicto sancto exercitio fideles in vicinis domibus degentes, qui ad sacrum conveniunt, informent: Parochi autem videant ipsi, quando commode poterunt, uti proficiant oves, quadragesimali praesertim tempore, quum pueri ad Eucharistiam promoventur.

X. Ludimagistri semel in hebdomada Catechesim in schola explicare iubentur ex Regiis Constitutionibus. Ubi autem ad Christianae Doctrinae institutionem discipuli diebus festis non congregantur, Concilii Lat. V, et Mediol. III. scitis inhaerentes, statuimus a Ludimagistris discipulos Christiana Doctrina esse imbuendos in Ecclesiis parochialibus, et ea in classe, quae a Parochis indicabitur: quod mandatum ubi detrectaverint, sciant, annua probitatis, et idoneitatis testimonia minime adepturos.

XI. Praeter hos adiutores, Parochus etiam laicos viros peri-

tiores, et integrae famae mulieres nuncupabit, si necessitas coget; omnes ad hoc caritatis opus suscipiendum alliciat, tum Doctrinae Christianae sodalitatem erigendo, tum Indulgentias a Summis Pontificibus eidem concessas, quas ad calcem trademus, indicendo.

XII. In fine instructionis singuli Catechistae alta voce recitabunt, pueris eadem verba repetentibus, actus Fidei, Spei, Charitatis, et Contritionis, quod fiet etiam a Parochis vel ante, vel immediate post instructionem pro adultis, et a Capellanis, qui, ut diximus, sacrum faciunt in sacellis campestribus, immediate ante celebrationem Missae, ut fideles in hac pia exercitatione assuescant.

XIII. Quo ad Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta pueri disponantur, toto prorsus Quadragesimali tempore a feria II post primam Dominicam incipiendo, singulis diebus, Sabbatis exceptis, constituta hora pro Doctrina Christiana convocentur, ut qui satis fuerint edocti, ad Sanctum Pascha accedere possint.

XIV. Absoluto puerorum Catechismo Dominicis diebus Parochi e suggestu, populo in Ecclesia congregato, facili sermone aliquod Doctrinae caput explanabunt, ad normam Catechismi Concilii Tridentini iussu editi: nec praetermittant singulis saltem quadrienniis praecipuas Doctrinae partes evolvere, ut quae ad salutem necessaria, vel utilia sunt, saepius repetita in fidelium animis altius insideant. Ne autem exiguitate vel prolixitate instructiones utilitatis, quo spectant, sint expertes, tribus quadrantibus sermonem duraturum volumus.

XV. Si qui inveniantur ita desidia laborantes ut divinas res ignorare non pudeat, Parochis praecipimus, ut quos arguerint in gravioribus Fidei capitibus hospites, nec ad Confirmationem, nec ad Eucharistiam, neque ad Matrimonium admittant. Curent Parochi ut dotes egenis puellis erogari solitae ex Summorum Pontif. mente iis concedantur, quae intactis moribus excellunt, et in Doctrina Christiana sunt satis excultae. Confessariis quoque

animo occurrant, quae a Benedicto XIV et a S. Carolo praescribuntur de poenitentibus, qui necessaria ad salutem ignorant, ut sciant quibus concedenda, vel deneganda, vel differenda absolutio sacramentalis.

XVII. Demum Parochis, Concionatoribus, Confessariis, et Capellanis edicimus, ut crebro, et graviter patres, matresque familias, eosque omnes, quibus aliorum cura est demandata, moneant obligatione teneri sive per se, sive per alios Fidei elementis filios, famulos, omnesque subditos imbuere, vel ad Ecclesiam ad hunc finem mittere: manifesto secus crimine deprehendentur. Tanti enim ponderis populi circa fidem instructio, ut a Parochorum, Confessariorum, omniumque Ecclesiasticorum, parentum pariter, dominorumque cura sollicitiori fortassis pendeat, nos Dei misericordia melioribus temporibus in posterum esse usuros.

XVIII. Et quum per decretum Nostrum comprobassemus religiosum quorundam Clericorum propositum, qui sponte Congregationem inire sese obtulerunt, quae omnino instructioni ignarorum prospiceret tam singulis festis in Nostro ad D. Andreae Oratorio, tam miserorum, qui in carceres detruduntur, quam etiam in Ecclesiis parochialibus, in horis illis, quibus omni alio divino exercitio vacant, et iidem pii Clerici tempore Quadragesimali in horis vespertinis incumbere statuerunt ad caeteros illos in veritatibus Fidei erudiendos, qui sibi in diem lucrifacere coguntur opera manuum suarum, neque statis temporibus Catechismo interesse possunt; Nos quapropter enixe hortamur egregios illos adolescentes qui tantum pietatis specimen praebent, ac reliquos omnes, ut tota mente totaque voluntate in optimo consilio maneant, sanctumque opus prosequantur; atque animarum Rectores vehementer exoramus, ut quoad apud ipsos est toto corde adiuvent atque in omnibus temporum adiunctis vigilantia, consilio tam utile gregi suo beneficium pro viribus adaugeant.

XIX. Et quod intra urbis pomoeria tanta solertia, tanto cultus Dei incremento exercetur, ut primae Christianae instructionis dogmata insciis inculcentur, extra quoque quid deinde obest, ne, quod tantum a Summis Pontificibus iterum atque iterum commendatur, societates Christianae Doctrinae simili modo instaurentur, atque omnium literarum expertes, et quod caput est fundamentorum sanctae legis ignari ad necessarias notiones instruantur? Nullibi subsidia desunt, ut tanti momenti res perficiatur praesertim quum nullibi desint piissimi viri, piissimaeque mulieres, quae summa caritate ad operam quamque laudabilem navandam enixe insudant. Tota ergo ope Parochi incumbant, ut hae Societates ubique iuxta Summorum Pontificum mentem instituantur, et probi viri et devotae mulieres suam caritatem ad tam laudabile opus adhibeant.

XX. Nec ullo modo hic praeterire possumus quin honoris causa nominemus Sodalitatem, quae Divae Dorotheae nomine clarescit; neque adeo, uti ius posceret egregias mulieres commendare licet, quae tantum beneficium parentibus quotidie impertiuntur, qui a suis familiaribus officiis vel ut victui consulant, distenti, haud facile filiarum suarum christianae educationi vacare possent, neque tempus, aut ratio, aut scientia illis suppeteret. Ubi enim maiori fructu uberiorique apud Deum merito pietas exerceri potest quam ad sexum in elementis Fidei erudiendum, illumque ad optimos mores informandum qui maioribus periculis est obnoxius, et ideo maiorem vigilantiam perenniusque auxilium sibi exposcit?

In districtu uniuscuiusque Paraeciae in tot classes puellae tribuuntur; quaeque classes a singulis Assistentibus reguntur, quibus Vigilatrices praesunt, et hisce omnibus Moderatrix. De recta religiosaque vivendi ratione, de sacrarum functionum frequentia, et Sacramentorum, de Christiana instructione probe, sapienter, summaque patientia edocentur: et si, uti Nobismetipsis pollicemur, et in Deo confidimus, haec tanta caritas a sedulo

parentum auxilio obsecundetur, maximum perinde iuvamen Doctrinae Christianae, instructioni in rebus divinis, quin immo morali humanae quoque oriturum speramus.

Haec tanta tamque mirabilia opera Dominus fortunet; plane enim innuere fas esset, hinc prorsus ignorantiam ab extremis populi classibus abigendam fore, optimosque esse mores inserendos.

CAPUT III.

De Praedicatione verbi Dei.

I. *Quomodo audient sine praedicante?* Apostolus ad Romanos exclamat (1); *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! Unusquisque sicut accepit gratiam* (2) *in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei; si quis loquitur.... tamquam ex virtute quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum.*

Sacrosanctis hisce sententiis inhaerens Tridentinum Concilium (3) Parochis iussit non solum pueros, rudioresque Doctrinam Christianam edocere, sed et diebus saltem festis de rebus divinis ad populum dicere iuxta illud Christi Domini: *Euntes.... praedicate Evangelium omni creaturae* (4). Hinc animadvertant parochi Concilio non obsecundari Evangelii explanationem cum instructione confundendo; duo distincta officia sunt, diversis ergo temporibus illis incumbatur.

II. Graviter propterea omnibus animarum Rectoribus praecipimus, ut singulis saltem Dominicis diebus, et festis solemni-

(1) cap. 10. (2) Pet. Ep. I. c. 4. (3) Sess. 5. de ref. c. 2. (4) Marc. c. 16. v. 15.

bus, vel per se, vel per alios a Nobis probatos Ecclesiasticos viros, si legitimo impedimento detineantur, gregem suae curae traditum caelesti praedicationis pabulo nutriant; diei scilicet Evangelium intra Missarum solemnia explicent, eiusque sensum iuxta Ecclesiae, Patrumque mentem ad vitiorum extirpationem, et Religionis, pietatisque incrementum brevi, facilique sermone convertant.

III. Dum autem Fidelium capacitati morem gerere cupiunt, abstineant tamen a plebeis et abiectis verbis, memores cum dignitate tractandum esse verbum Dei. Quod vitium ut arceatur, nemo imparatus ad Evangelii praedicationem se obiectet, sed conciones ad populum Parochus scribat, ac maiori, quo per tempus licet, elucubratione. Si enim quasi ex tempore populum alloqui velit, facile continget, ut licet usu dicendi exercitatus, multa inordinate, leviter, et fortasse etiam minus recte proferat.

IV. Non vetus consuetudo, non exiguus auditorum numerus, nec feriarum nomen, nec cuiusvis generis excusatio admittetur: omnes reiectas novimus a Summis Pontificibus; si quis huic universae Ecclesiae praecepto non pareat, debitas suae negligentiae poenas daturum sciat.

V. Plurimum ad spirituale fidelium incrementum a spiritualibus exercitationibus effluere experientia demonstrat: Parochos ideo hortamur, ut quolibet saltem decennio per Ecclesiasticos sive Saeculares, sive Regulares ad opem evocatos alimentum hocce suis ovibus comparetur.

VI. Praeter animarum moderatores nemo concionandi sibi animum adiiciat non prius a Nobis habita facultate. Regulares vero a suis superioribus approbati, ut in Ecclesiis proprii respective Ordinis verba populo faciant, Nobis se sistant benedictionem accepturi, sine qua iis coercebuntur poenis, quas ab ipsis repetere Summi Pontifices Nobis concesserunt. (1)

(1) Concil. Trid. Sess. 5. cap. 2.

VII. Quum temporibus Adventus, et Quadragesimae Concionatores multi eligi soleant, primum praecipimus, ut Nos adeant approbationem in literis petituri. Illi itaque qui nominandi ius habent praestituto tempore nominare curent, Nobisque, seu Cancellario Nostro per authenticum actum denuncient ante festum omnium Sanctorum, et Epiphaniae.

VIII. Quoad orationes panegyricas, aliosque huiusce generis extraordinarios sermones, si agatur de hac Civitate, et agro, verbalis saltem licentia a Nobis est imploranda; in caeteris vero Dioecesis locis ab ipso Parocho venia postuletur, quam tamen impertiri tantum volumus personis Ecclesiasticis, ab ipso probatae vitae, et doctrinae perspectis.

IX. Numquam Divinum verbum annuntietur nocturno tempore, vel ante auroram, ne necessitatis quidem, aut utilitatis specie, Nobis inconsultis.

X. Nemo concionum tempore constrepet, et tumultum edat vel in foribus, vel in plateis, neve Sacerdos quidem sacrum facere tunc audeat.

XI. Concionatores omnes monemus, et in visceribus Christi vehementer obtestamur, ut praeter vitae integritatem qua praelucere debent, nihil proferant a Sacrarum Scripturarum, Catholicae Ecclesiae, et Ss. Patrum sententia absonum: a profanis, et puerilibus narratiunculis abhorreant: fabulosa commenta, et adulterinas historias abiiciant: privatas opiniones, ac interpretationes, stultas quaestiones et contentiones omittant; novas indulgentias, Nobis insciis, non evulgent: miracula non enarrent, nisi quae a severioribus criticae regulis sancita sunt; in arguendis vitiis prudenter se gerant, vitia carpant, vitiosum autem ullum neque nominent, neque ita describant, ut a populo facile possit designari: praeter Crucem, et Christi cruci affixi imaginem, alias effigies, aut pia spectacula e sacro suggestu non exhibeant populo; neque insuper ipsis liceat quemquam paupertatis nomine publice auditoribus commendare absque Nostra

facultate. Perlegant denique quotannis mirificas in eorum gratiam editas instructiones s. Caroli (1), et Benedicti XIV (2).

XII. Metropolitanae Ecclesiae Canonici omnes, et Collegiatarum nisi legitime detineantur, chorali habitu induti sacris concionibus Adventus et Quadragesimae intersint, ut Fideles, tanto exemplo praeeunte, ad aeternas veritates hauriendas libentius confluant. Aliarum vero Ecclesiarum Parochi concioni adsint, commendandi si superpelliceo induti, et birreto. Sacerdotes etiam, et cuiuscumque gradus Clerici secum ipsi solerter reputent sibi ex ore Praedicatorum Divinam legem esse maxime excipiendam, si in maximis ducant, ut dignitatis amplificationi, atque ad altiores Ordines erectioni consulatur.

XIII. Dein, ne ad Ecclesiae servitium auxilium ullum desiderari possit, et praesertim ut animarum saluti, in quibus animus vigiliaeque nostrae defixae esse debent, magis magisque consulatur, complures Sacerdotes sapientia, moribus, caritate praeclari, intra sacros Divi Andreae parietes in egregium consilium convenenerunt, ut ad missiones obeundas viriliter incumberent, et plerasque, ubi res exposceret, Nostrae ditionis Paroecias peragrarent, de verbo Dei et salutis identidem et statis temporibus conciones habituri. Alacres et ad nutum Rectorum animarum accincti lumbos confestim contendunt quo fidelium sollicitudo vocat, ubique locorum, quacumque tempestate, intenso zelo compulsi, itinera, labores adeuntes. Maximo gaudio propterea perfusi palam praedicare laetamur uberrimos fructus qui ab hac pia sanctissimaque Congregatione oboriantur, quantum fidelibus beneficium adferatur, quantum Parochis subsidium, quot denique ab universa Vercellensi Ecclesia sibi benedictiones eximii illi vineae Christi Operarii promereantur.

Quod eo magis dictum volumus de dilectissimis in Christo filiis Congreg. Oblatorum D. Caroli, qui praeter haec omnia,

(1) Instructiones Praedicationis verbi Dei ex Concil. Prov. III. decreto. (2) Notific. 27.

quae nunc meminimus, tironum Ecclesiasticorum educationi vigilant, Templo studio indefesso serviunt, infirmos invisunt, ac insuper oneri succedunt, ubi sacrorum ministri aut aetate provecti, aut valetudine laborantes adiumenta fraterna requirunt, illorum vices gerunt, confessiones excipiunt, exercitia peragunt.

In ore ergo eos laudibus exornamus: iisdem quoque enim acceptum referatur, si de die in diem Fidelium ardor percrebescit, si bona ubicumque opera multiplicantur, si Sacramenta optimis dispositionibus frequentantur, si cultus Dei perenni satisfactione efflorescit. Et Nos iucundissimum officium persolvimus, ingentes illis gratias nomine Fidelium Dioecesis in praesens profitentes, maiores certe erunt futurae, quae a supremo Remuneratore eorum meritis reservantur.

CAPUT IV.

De Sacramentis in genere.

I. Non tantum scilicet Verbi Dei praedicatione, et Doctrinae Christianae exercitatione, sed et Sacramentorum usu salutis nostrae spirituale aedificium fulcitur. Per Sacramenta enim teste Tridentino Concilio (1), omnis iustitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur. Quamobrem quisque satis intelligit, quanta exteriori observantia, quanta interiori sanctitate, morumque puritate, haec divina salutis nostrae praesidia sint tam suscipienda, quam ministranda.

II. Parochi igitur saepius in tradenda Christiana Doctrina fideles suos vim, usum, salutares Sacramentorum effectus, dispositiones tam corporis, quam animi, quibus suscipienda sunt, edoceant.

(1) In prooem. Sess. VII.

III. In tanto ministerio exercendo enixe petimus, et studiosissime contendimus, ut Sacramentorum ministri iis sint moribus, quos rei sanctitas requirit. Quapropter vitam culpa expertem ducere satagant, praesertim cum quovis tempore ad Sacramenta ministranda vocari possint, quae magnam semper animae munditiem expostulant.

IV. Ad Sacramenta ministranda vocati, numquam difficiles, ac morosi, sed alacres, facilesque se praebeant singulis indiscriminatim fidelibus, nulla habita ratione viarum, loci, temporis, praesertim si de aegrotis agatur, nulla conditionis exceptione: immo quum aliquos morbo correptos acceperint, et non vocati invisere curent, et gravius affectos mollioribus verbis ad Sacramentum accipiendum alliciant.

V. Nedum Simoniae flagitium, verum etiam omnis avaritiae suspicio effugienda. Caveant ergo animarum moderatores ne quidquam quasi iure, aut oblique expostulent. Si quid vero eleemosynae, aut cuiusvis oblationis nomine, vel consuetudine, vel ultro ad Ministri sustentationem offeratur, comiter accipiatur.

VI. Intimo cordis studio addat Sacramenti Minister corporis habitum, et ornatum: talarem nimirum tunicam induat, mundum superpelliceum, et stolam eius coloris adhibeat, quem Rubricae adhibendum iubent, nisi in Sacramento poenitentiae ministrando, in quo saepe ex consuetudine veste talari tantum et stola uti sat erit; vasa sacra caeteraque ornamenta ab omni sorde pura habeat, et nullo modo lacera. Nusquam praeter Unctionis extremae Sacramentum, et praeter gravis necessitatis momentum nisi in Ecclesia Sacramenta aut conficiat, aut conferat: antequam vero accedat Sacramenta ministraturus, si tempus siverit, genibus flexis ad altare pie verba precantia fundat, et aliquantisper sacram, quam est peracturus, actionem meditetur.

VII. Ritus adamussim servabit, qui in Rituali Romano a Benedicto XIV emendato praescripti sunt, nihilque detrahat, vel addat; ideoque hunc librum semper prae manibus habeat, nec

quoties sacrum ministerium navat, ab eius lectione abstineat, etiamsi memoriter omnia tenuerit. Insuper omnes hortamur, ut praeclara de recta Sacramentorum administratione monita a S. Carolo fuse tradita sibi comparent, et saepius perlegant, et versent.

CAPUT V.

De Baptismo.

I. De huius ergo primi Sacramenti necessitate, quod caelestis generatio est, et quo a potestate tenebrarum erepti in vitam spiritualem ingredimur, Parochi diligenter edocere debent populum, et de modo ipsum rite administrandi.

II. Quoniam infantium recens in lucem editorum conditio multis sit obnoxia casibus, nolint parentes ultra tertium ab ortu diem eorum Baptisma differri: delato ultra octiduum excommunicationis poena detrectantibus irrogetur.

III. Parochi per se Baptismum administrent, vel per coadiutorem approbatum in Ecclesia Parochiali, in qua fons baptismalis reperitur. In urbe ad Metropolitanam, aut ad S. Mariae Maioris Basilicam deferantur infantes, vel ad Ecclesiam, in qua constituta est Paraecia S. Iacobi, dummodo de solis eius Parochianis agatur. Si qui tamen infantes intra urbanarum Ecclesiarum Parochialium fines a Sabbato Sancto usque ad Sabbatum in Albis, et a Sabbato item vigilia Pentecostes usque ad sabbatum proximum nati baptizandi sint, in Metropolitana tantum Ecclesia pro observantia officii, et pro veteris instituti ratione hoc Sacramento initientur, nisi cuiusquam ob mortis periculum in ipsismet domibus privatis Baptismum ministrare necesse sit. Extra sacram aedem ubi fons est, vel ante solis ortum, vel post eiusdem occasum Baptisma

ne administretur, nisi urgente necessitate, absque Nostra in scriptis facultate; sciant tamen hoc casu parentes octavo saltem die, nisi Nobis aliter visum fuerit, in Ecclesia deferendum infantem pro solemnibus perficiendis ritibus. Si quis autem infantem ad Ecclesiam deferre negligat, prius a Parocho graviter monebitur, ac deinde ingressu Ecclesiae, si contumax, interdicetur. Atque ut ad haec mala antevertenda nihil praetermittatur, tam obstetrix, quam quaevis alia persona quae domi propter periculum infantem baptizavit, intra viginti quatuor horas Parochum certiorem reddat. Adigente tamen necessitate, non dumtaxat intra domesticos parietes, verum a quacumque sibi compote persona hoc fas est conferri Sacramentum; prae oculis tamen habeatur, a dignissima quae intersit administrandum, nisi aliter scientia, vel pudor suaderet. Semper si alius adsit, parentes abstineant; secus poenis subiiciuntur a S. Canonibus statutis.

IV. Infantes expositi sub conditione sacro Baptismi latice intingantur, etiamsi collo appensam schedulam praeseferant eos iam sancto lavacro profusos fuisse innuentem, nisi adeo perspicuum exploratumque sit, ut pene manu teneatur. Cum privatim domi ab obstetricibus, aliave persona in maximis angustiis aliquis fuerit baptizatus, inquirant statim Parochi a quo, quomodo, qua materia, et forma fuerit conlatum Sacramentum: re autem probe corde, et mente agitata, si non omnis dubitandi ratio de Sacramenti validitate adimatur tunc aqua piaculari sub conditione infans abluatur. Quapropter tum populus, tum obstetrices praesertim sedulo sunt erudiendae, atque hasce easdem, etsi iam semel, bisque approbatas, intra Paroeciae fines degentes, Parochi ad examen semel in anno iterum revocare haud negligant; et ineptas, vel minus instructas arceant, ministerioque interdici curent.

V. Adulti omnes sive Iudaei, sive Turcae, vel Mauri qui baptizari petierint, ad Nos mittantur, ut de illorum voluntate certiores penitus evadamus, eorumque instructioni consulamus.

Neque aliter de quibuscumque haereticis Catholicam amplexari fidem optantibus res habeatur.

VI. Qui infantes de sacro fonte suscipiunt (qui non plures numero quam duo id est vir et foemina esse debent), diligenter a Parochis edoceantur de onere quod sibi assumunt, et de spirituali cognatione quam contrahunt cum in Baptismo administrando adhibentur; non vero si tantum solemnes caeremoniae suppleantur. Ad susceptoris munus obeundum non admittantur, qui Symbolum, Orationem Dominicam, Decalogi praecepta et prima Religionis elementa nesciant; nondum sacro Chrismate confirmati, qui nondum ad Eucharistiae Sacramentum accesserunt, decem annis minores, vagi, furiosi, amentes, fatui, non denique Regulares omnes ordinis cuiuscumque, neque Sacerdotes et Clerici, nisi speciali Nostra facultate implorata. Repellantur item omnino illi quos palam et publice constat Communionis Paschalis praeceptum non implevisse, male tandem audientes, ob publicum scelus infamia inusti, vel censuris ecclesiasticis perstricti.

VII. Rite sacro ministerio absoluto, circa infantis, parentum et susceptorum nomina in librum scripto referenda, Parochi peculiarem circa hoc instructionem Pontificiam recens pervulgatam ad apicem obsecundent, atque adamussim exequantur. (1)

VIII. Sanctorum nomina baptizandis imponantur, non profana vel fabulosa Ethnicorum: infantibus vero expositis, super alicuius Sancti nomen, etiam ex triplici naturae regno cognomen addatur, animali scilicet, vegetabili, et minerali expetitum.

IX. Parentes et nutrices gravissimum officium commonefaciant Parochi, ne infantes citra annum exactum decumbentes secum teneant absque repaguli alicuius cautione ad periculum suffocationis amovendum, peccatumque Nobis reservatae absolutionis sciant indociles patraturos. Coniugatis item edicant, ne

(1) Ad calcem.

prolem secum ipsis eodem lecto iacere sinant, vel pueros cum puellis simul cubare, maxima inde cum possit exoriri corruptela. Caveant demum, ut puerpera primum domo exiens, in Ecclesiam parochialem se statim conferat grates Deo habitura et a Parocho benedictionem relatura.

X. Faustissimi diei, quo quisque regeneratus est, devota quotannis iteranda recordatio, atque omni pietatis opere peragenda. Pientissimo huic primaevorum fidelium instituto inhaerentes, mandamus ut in singulis Paraeciis, sicut iam fideliter percrebuisse accepimus, die festo Circumcisionis post Vesperas, brevi sermone praeeunte, publica fiat Baptismalium votorum renovatio iuxta formam in Calendario exaratam, et Parochi populo Dominica praecedenti plenariam annuntient Indulgentiam quae ad sptennium ab Apostolica Sede concedi solet.

XI. Ad laevam Ecclesiam introeuntium prope fores fons baptismalis esto, marmore, vel aere solidus; columna suffultus, atque bifariam in duas cavitates divisus, lapide interposito. Harum altera consecratam aquam contineat, quolibet anno ad Sabbatum Sanctum vel in Pentecostes pervigilio renovandam; quae si intra annum erit imminuta vel minus sufficiens videatur, tunc alia minime benedicta in minori quantitate illi admisceatur, et si fuerit corrupta ad praescriptum Ritualis Romani nova quovis tempore consacretur. Altera aquam infantis capiti per cocleare argenteum vel stamneum infusam excipiat, quae inde in sacrarium profluat: illa aeneo vel metallino quocumque operculo, haec saltem ligneo occludatur; fonti toti incumbat infixum marmoreum vel ligneum aedificiolum decenter extructum, in cuius superiori parte assere ad horizontem composito parentur vascula duo argentea, alterum Chrismatis, Olei Catechumenorum alterum, in quibus incisae pateant literae nomina singulorum significantes, ne alterutrum confundatur. Quotannis saltem haec vasa rite mundentur quo tempore sacrum Oleum est renovandum, veteri una cum gossypio combusto, cineribusque in sacrarium proiectis.

Redeunte etiam quoquo mense aqua lustralis a sordibus superficie natantibus expurgetur: insuper praesto sint sudariola duo candida, quae ad caput infantis abstergendum inserviant: vasculum denique cum sale benedicto, et haec omnia munda serventur. Tabernaculum velo operiatur, superius imago vel in pariete signata, vel tabella appensa, sive statua adsit quae Christum Dominum a Joanne baptizatum exhibeat. Tabernaculum istud, fons, sacrarium seris et clavibus muniantur, quae a Parocho diligentissime asserventur ne ulli pateant: cancellis demum omnia custodiantur.

CAPUT VI.

De Confirmatione.

I. Per Baptismum spiritum adoptionis, per Confirmationem spiritum fortitudinis accipimus, quo Christi milites efficimur, novo robore firmati ad praelia ad fidem tutandam obeunda. Quapropter Pastores de huiusce Sacramenti virtute verba habeant ad populum, de eius praestantia, necessitate et effectibus, ipsumque erudiant quanta pietate et animi cordisque compositione sit suscipiendum: quod crebrius facient atque efficacius per aliquos dies antequam hoc Sacramentum administretur.

II. Consulant Parochi ut parentes liberos suos vel familiares vigilantiae eorum commissos post septimum aetatis annum ad hoc Sacramentum suscipiendum mittant, vecordesque redarguant ob provectiorem aetatem ad hoc Sacramentum accedentes. Qua de causa quotannis in hac civitate, feria secunda Pentecostes et Dominica SS. Trinitatis et frequentius etiam si tempora necessitatesque expostulent per Dioecesim Confirmationem conferemus.

III. Confirmationis candidati prius a Parocho edoceantur, et probati, chirographum sive schedulam, cognomen, nomen, aetatem, patriam, et Parochiam tum suam, tum parentum ordinate continentem praeseferant. Ad Poenitentiae, et si fieri potest, et per aetatem liceat, etiam ad Eucharistiae Sacramenta accedant; et, si mane Confirmatio administretur, eam dein, si commode possint, ieiuni accipiant. Parochus etiam ipsos monitos velit exteriori corporis cultu se se sistere, ideoque capite mundo, deterso atque nudato, coma ingenue detonsa.

IV. Susceptores iisdem conditionibus praediti accedant quibus de Baptismi Susceptoribus. Curandum ut vel Patrini vel Matrinae confirmato maiores sint aetate, et cum spiritualis cognatio contrahatur sicut in Baptismo, hinc parentes liberis suis hoc officium nè praestent, neque maribus foeminae, neque foeminis mares. Unus pro pueris tantum Patrinus, (idque Clericis saecularibus aeque ac Presbyteris fas esse sinimus) et una matrina pro foeminis seligatur.

V. Parochorum munus esto, ut mares a foeminis seorsim stent, genibus flexis, et provideant, ut ab omni strepitu abstineant. Ipsorum etiam erit monere sponsores, ut manum dexteram super dexterum humerum confirmandi ponant, neque illam removeant, nisi absoluta ab Episcopo Sacramenti functione. Caveant etiam Parochi sollerter, ne qui initio sacri ritus impositionis manuum praesentes non fuerunt, sacro Chrismate illinendos se praebeant, neve ullus recedat, nisi perfecta functione, et benedictione Episcopi accepta.

VI. In ipsa Sacramenti collatione omnes schedulas colliget Clericus Parocho Ecclesiae in quo Sacramentum inauguratur, tradendas, qui secretas quae ad suam Paroeciam attinent, in apposito volumine accurate describet signato anno, mense, die, nomine Episcopi, Confirmatos tenentium, et Ecclesiae titulo ubi confirmatio fuit celebrata: quae vero ad alias Paroecias spectabunt, remittet illico ad suos quosque Parochos in propriis re-

spective libris fideliter transcribendas. Quod eo diligentius observatum iubemus quo sic facile patebit susceptum fuisse sacramentum, et a quibus spirituales contractae cognationes.

CAPUT VII.

De Eucharistiae Sacramento.

I. Sacramentum Sacramentorum dicitur, et vere est Eucharistia, in quo nescias quid admirere magis an eius Auctoris potentiam, an amorem, in quo Christi totius gratiae fontis et auctoris Caro et Sanguis vere continetur et sumitur. Hinc late quisque intelligit, quantam ab animarum Curatoribus caeterisque Sacerdotibus sanctitatem in eo tractando atque ministrando, a fidelibus omnibus quantum interiorem externumque cultum sibi iure exposcere debeat. Quum autem hoc Sacramentum tria significet iuxta D. Thomam (1) quae praeteriti, instantis, et consequentis temporis varietate distinguuntur, diversisque nominibus Sacrificii, Communionis, et Viatici propterea appellatur, ideo ut perspicuitati morem geramus, considerationes nostrae variis capitibus secernentur.

II. Praecipimus ut SS. Eucharistia nisi aliter per Nos facultas fiat, in Altari maiori servetur, in Tabernaculo ligneo vel lapideo affabre extructo, panno serico albi coloris intus, conopeo ornato foris in Parochialibus Ecclesiis semper custodiatur. Ibi superposito mundo corporali solum Sacramentum in Pyxidibus vel Ostensorio aut Radio asservetur: clauso eius ostiolo, quod pariter interius simili panno adornatum, exterius nullam praebeat Ostensorii sacraeque Hostiae formam, verum aliquam

(1) 3. p. C. 73. Art. 4. in corp.

caelatam vel pictam Christi effigiem, aliudve receptum Sacramenti symbolum; tuta sera optime muniatur, cuius clavis argentea sit, vel saltem deaurata, a qua pendeat aureum vel holosericum funiculum, a Parocho vel Sacrarii Custode, numquam a laico homine, religiosissime custodienda. Nullibi liceat Eucharistiam asservare sine expressa Nostra facultate exceptis Parochialibus Ecclesiis vel Regularium, vel iis, quibus indubio iure fas sit.

III. In Tabernaculo in quo Christi Corpus reconditur, Olea sacra, vel Sanctorum Reliquias etiam SS.^{mae} Crucis vetamus locari. Pyxides duae sint argenteae auro intus illitae, quarum una amplioris formae semper velo operta *particulas* contineat totidem quot fidelibus Communionem petentibus sufficiant, octavo quoquo die, hiemali autem tempore ad summum duodecimo renovandas, neve servandas quae iam viginti a confectione dies enumerarent: altera formae minoris in Ecclesiis Parochialibus qua ad infirmos Eucharistia deferatur.

IV. Ostensorium quo publicae venerationi Sacramentum sistitur ex auro vel argento vel aurichalco inaurato sit, tantae amplitudinis ut capi facile hostia possit, vitra habeat utrinque pellucida, lunulam auream vel argenteam deauratam, et sub lunula parvum et oblongum scutum argenteum pariter deauratum, in quo si qua decidant fragmenta excipiantur, et facilius a Sacerdote colligantur: scutum aeque ac pyxides saepe purificentur. Vasa haec si vacua fuerint, a tabernaculo removeantur; nitidissima semper sint, et si auri interior superficies fuerit abrasa, novum ibi aurum inducatur.

V. Curent Parochi ut diu noctuque lampas continenter ante tabernaculum exardescat, non alio oleo quam ex olivis expresso nutriatur, eorum sumptibus ad quos iuxta locorum consuetudinem pertinet: omnem hac de re sollertiam impendant, ne poenas arbitrio Nostro infligendas incurrant, si eorum vel detestabili negligentia, vel turpi avaritia quandoque splendescere desinat.

VI. Nefas esto Pyxidem aut Ostensorium exponere ad fores

Ecclesiae, aliove deferre ad incendia sedanda, turbines repellendos, fluminum exundationes coercendas: id sub suspensionis poena vetitum edicimus. In his casibus uti et pro infirmo, vel in agone constituto aperire licebit tabernaculi ostiolum et accensis saltem duodecim luminibus Pyxis suo conopeo velata ita constitui poterit, ut populi conspectui patefiat, et peractis eius rei causa statis precibus, ubi pluviale et incensum adhibeatur, populo benedictionem impertiri licebit.

VII. Quando ostensorium, seu radium cum visibili Hostia adhibetur, semper sub umbella, quam *Baldacchinum* vocant, exponetur, et quatuordecim saltem candelae accendantur.

VIII. Publicam Sacramenti expositionem nisi in casibus hactenus probatis sine Nostra licentia in Ecclesiis etiam Parochialibus, et Regularium utriusque sexus fieri prohibemus. Quotiescumque autem fiet publica Eucharistiae expositio per diem, aut triduum, praecipimus ut Sacerdotes duo, vel duo Clerici superpelliceo induti ad altare semper distributis horis adstent, et si Clerici minime sufficiant, confratres saltem duo, sacco induti, extra Presbyterii cancellos Sacramentum continue venerentur. Dum autem solemniter manet expositum caveant ecclesiae Ministri ne quid in Rubricarum leges quod irreverentiae redargui possit, admittatur.

IX. Singulis Dominicis, et omni die festo in qualibet Paroecia post caeteras functiones Benedictio ad maiorem aram populo impertiri poterit, quemadmodum et in festivitate, novendio, vel etiam ob privatam causam aliis diebus. Bis autem vel pluries eodem die, eademque in Ecclesia, sine Nostra expressa licentia populo benedicere omnino prohibemus, quaecumque sit contraria consuetudo etiam apud Regulares, a quibus obtemperatum iri nobis pollicemur, lato hac de re S. Congregationis decreto: (1) sinimus tamen eas iterari cum Viaticum ad infirmos defertur, aut

(1) S. Cong. Conc. 17. Aug. 1630.

ad ostiolum tabernaculi ingruente procella, vel pro aegroto extremos spiritus trahente exponitur sacra Pyxis, vel cum post supplicationem SS. Sacramenti mane habitam in reditu ad Ecclesiam Benedictio datur, atque iterum post Vesperas nova Benedictione officia omnia divina conficiuntur.

X. Dum expositum est SS. Sacramentum, sacrae Reliquiae ac Sanctorum effigies (nisi sint ad ornatum tantum) ne in aris pateant, prout et animarum purgantium, etiamsi earum ergo instituta sit oratio, nec nigro colore induatur presbyterium, nec pegma funebre in Ecclesia erigatur.

XI. Nisi Nobis annuentibus, nullae aliae processiones cum SS. Sacramento quam illae, quae legitima consuetudine invaluerunt, instituantur. Sollemni supplicationi, quae in die Corporis Christi peragitur, omnes de Clero et Saeculari, et Regulari (iure, vel usu obstricti) necnon Oratoriorum Sodales, Hospitia etc. accensos cereos manu gestantes intersint, sub poenis arbitrio Nostro infligendis: immo in hoc tanto temporis adiuncto pro decoro viarum ornatu in Clero, ac populo sancta insurgat aemulatio, prout per Litteras Nostras saepe hortati sumus; et ubi Sacerdotes aliique Ministri cum planetis et dalmaticis incedere consueverunt, albas et caeteras quoque sacras vestes pariter assumant.

CAPUT VIII.

De Communione.

I. Enucleatis quae ad Eucharistici Sacramenti honestam curam, et cultum spectanda censuimus de Sacramenti eiusdem susceptione, in qua vere Omnipotens se salutis largitorem praesertim ostendit, sermocinabimur.

Animarum Curatores in primis enixe exhortamur, ut populum edoceant mirabilem huius Sacramenti virtutem, sanctitatem, sublimitatem; quando, ubi, et quomodo urgeat Paschale praeceptum, ingentes fructus ex frequenti communione prodeuntes, animi demum, corporisque dispositiones.

II. Feria V. in Coena Domini, Sacerdotes omnes et Clerici hi superpelliceo, illi stola etiam induti de manu Sacerdotis sollemniter celebrantis in sua Paroecia ad caeterorum exemplum Sacramentale Christi Corpus accipere curent. Reliqui Fideles in sua quisque Paroecia a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusive Paschalis Communionis praeceptum rite adimpleant, nec quis huic praecepto se satisfecisse putet si in alia Ecclesia aut Regularium aut in Cathedrali, aut in Ecclesia Xenodochii Maioris huius Urbis Indulgentiarum specie sanctam Eucharistiam susceperit, nisi Nostra vel Parochi licentia accesserit, quo in casu semper erit Parocho Paschalis schedula ostendenda.

III. Paschali tempore animarum Pastores curent vel per se, vel per alium specialiter delegatum Sacerdotem SS. Eucharistiam impertiri, et per ministrum spectatae probitatis, et fidei schedulas distribuant, easque subinde colligant, animas ostiatim describentes, quarum propterea catalogum hac etiam de causa quotannis ab ipsis faciendum praecipimus. Iis, qui schedulas proprias aliis tradent poenam interdicti minitamur.

IV. Ob iustam sive ob ementitam causam tempore Paschali a propria Paroecia discedentes, et ad locum unde digressi paullo post remeantes, nisi annuae Communionis praecepto in propria Paroecia quindecim dierum intervallo satisfaciant, aut iam alibi satisfecisse indubitanter Parocho demonstrarint, inobedientes censeantur.

V. Paschali Communioni recalcitrantes, privatim, et leniter a Parocho excitentur, poenis in indociles propositis. Irritis privatis admonitionibus generatim in tribus concionibus (nomen

cum adiunctis quibus facile dignoscatur, silentio praetereundum) desidiosos graviter redarguant: interim illorum nomina post festum SS. Trinitatis clanculum, et fidenter ad Nos deferant Parochi, ut ipsorum saluti paterna charitate prospiciatur.

VI. Verecundia et modestia ex caeteris creaturis soli humano generi tamquam privilegium distinctivum datum a Supremo Muneratore fuit: brutis animantibus se ergo assimilare videntur a tam praeclaris dotibus abhorrentes. Sanctum non est dandum canibus: ideoque a Sacra Mensa arceantur mulieres aperto capite, procaci ore, nudato pectore accedentes, publici concubinarii, helluones pertinaces, lenones, publice quae corporis quaestum faciunt, blasphemi, infames, facinorosi, ebrii, malefici, illi denique omnes, qui ob recens perpetratas iniquitates pessime apud gentes audiunt, donec manifesta poenitentiae praebeant argumenta: coniuges quoque sine legitima causa Nobis cognita non cohabitantes.

VII. De pueris ad Eucharistiae Sacramentum suscipiendum vehementer sollicitos optamus animarum Rectores, qui toto quidem anni cursu, sed praecipue integro quadragesimali tempore, ut diximus de Doctrina Christiana pertractantes, pueros et puellas erudient, ut illi qui digni et idonei fuerint probati, ad primam Communionem accedant; ad quam nemo praeter Parochum ius sibi illos admittendi vindicet. Advertant autem Parochi ut quantocius pueri ad communionem admittantur, ita ut nemo tredecim vel quatuordecim annorum aetatem praetergrediatur, quin ad Communionem Paschalem accedens, Christianus dignoscatur.

VIII. Communionis primum sumendae alia dies pueris, alia puellabus praestituetur. Cum in Ecclesiam convenerint omnes in unum coacti qui primum Christi Corpore roborantur, post ab ipsis factam peccatorum confessionem, Parochus vel alius Sacerdos preces recitet in suscipiendae Communionis praeparationem et post ipsam alias in gratiarum actionem eorum aetati

maxime accomodatas; caveat insuper ut omnia quiete, decore ac summa cum reverentia peragantur.

IX. Interiori cordis munditiei congruat externa dignitas, qua graviter Sacramenta ministrantur. Ideo ante altare ubi SS. Eucharistiae opera datur, scamnum vel cancelli extent mappa munda et candida operti. Ibi Fidelibus genuflexis, maribus quoad fieri possit a foeminis distinctis, singulis singulae sacrae particulae tradantur, ac de Pyxide, non de patena nisi a legitima causa, et tunc ad evitandum lapsus periculum quinarium numerum ne excedant.

X. Animadvertant Sacerdotes ne in nocte Nativitatis Domini, aut die Parasceves Communionem administrent exceptis morbo laborantibus, prout et in Missis de Requiem cum particulis praeconsecratis Pyxidem extrahendo. Hoc autem semper videant, ne laici et praecipue mulieres pro S. Communione ad Altaris gradus accedant, sed tantum ad Arae cancellos consistant.

XI. Saepe inter annum Parochi e suggestu verba facient efficaciter et intenso zelo permoti ad populum de huiusce tanti Sacramenti magnitudine et sublimitate: eiusdem praestantiam ostendent, summam Dei Servatoris erga homines bonitatem praedicabunt: *quid enim Domino supererat quod donaret?* Fideles ad eius frequentiam adhortabuntur, et potissimum ad sensus gratissimos erga illum qui divitias divini sui erga homines amoris veluti effudit. Ubi enim, qua alia maiori evidentia cor suum quam in hoc ineffabili Sacramento nobis patefecit?

Et quippe viri sanctissimi aeque ac omni Sanctorum doctrina eruditi, qui in hoc ministerio nobis praeierunt cunctas vias reseraverunt quibus in via salutis procederemus, rationes omnes indicarunt quibus Dei servitium prosequamur, et vos ad illam perfectionem dirigamus ad quam omni ope nobis enitendum est, iure succenseremur, si de pio suavissimoque cultu Cordis Iesu aliquid repetere Nos oblivio cepisset; nempe de illa devotione eximia et dulcissima, quae delicias efformare debet ani-

marum singularum, quae vere erga Redemptorem ferventissimo amore excitari cupiunt.

Pientissimam illam commemorationem quam in praecedenti Synodo Antecessor Noster perhibuit de sanctissima Cordis Iesu devotione, verba illa a sollicitudine salutis animarum inspirata, vobis recurrenda suademus et urgemus; neque id addere Nobis fas est, quin plura ibi reperiatis. Quid enim a Nobis aliud dici posset, nisi in illo Corde quod est ipsum vivificum Cor Personae Verbi, pro humanitatis salute aeterno amore flagrantissimo, perennem illam et inextinguibilem caritatis flammam ardere, qua adeo indigni sumus et quam tamen tam ubere liberalitate largitur? Quid de Corde illo vobiscum rursus sermocinemur, quod septies, vel potius millies in die a culpis nostris, a nostris iniquitatibus confossum vulneribus, ea tamen inexhausta mansuetudine inexplebilique caritate est, ut veteris labis lavacrum assidue suppeditet, expiationem actualium noxarum praebeat, pignusque haud dubitandum futurae aeternae salutis quotiescumque rite eius iucundissimas invitationes amplexari sciamus, quibus cupit, vult, extimulat ut cum illo coniungamur eodem desiderio, eadem anxietate qua nobiscum dissolvi et esse expetit et ardet?

Studete ergo, ut quotidie saltem Cordi illi tanta benevolentia, tanta dilectione incensum, quod gaudio ad quodcumque nostrum meritum palpitat, dolore et aegritudine salit et contristatur quotiescumque foede labamur; quod nos tepidos inflammat, segnes et vecordes excitat; quod omnes una amplectitur, omnes petit, omnes cogit, cogitationem unam, precem, affectum sacremus, unde exemplo nostro omnes intuentes nos moveamus, ut nos sequantur, atque ad currendam viam perfectionis aemulentur.

CAPUT IX.

De Eucharistia ad infirmos deferenda.

I. Infirmis quam maxime consulatur, ipsisque praemissa Sacramentali Confessione sollicite Eucharistiam per se ipsum si fieri potest, vel per Sacerdotem Confessarium Parochus administret, antequam vi morbi mens et sensus profligantur. Si diuturnior fuerit aegritudo, etiam ritu Viatici fas erit identidem Eucharistiam petenti concedere; imo ne renuant Parochi hoc salutis pignus saepius aegrotis ipsum cupientibus deferre; et Ecclesiasticos viros omnino decet ipsum frequentius sumere sive ad propriam sanctificationem, sive ad aliorum aedificationem. Infirmis qui longa salutis imbecillitate ab Ecclesia prohibentur, sub communi ritu ieiunis deferant. Et faxit Deus ut in Nostra Dioecesi saluberrima obtineat consuetudo, quod a multis iam fieri gaudemus, ut in maximis solemnitatibus infirmi Christi Corpore reficiantur. Pueros etiam in vitae discrimen adactos, etsi ad Communionem nondum admissos, si Fidei rudimenta teneant, et caelestem a terreno pane discernere sint idonei, eiusdem participes volumus.

II. Quum Viaticum ad aegrotum defertur (quod premente morte qualibet etiam noctis hora fieri debet) omnia serventur, quae a Rit. Rom. praescripta leguntur. Convocabitur populus campanae signo, nocturno tempore excepto, accensae ferantur faces ad minus duodecim, necnon duae saltem laternae, ne imbris aut ventorum impetu omnia lumina extinguantur. Sacerdos in civitatibus, suburbiis, oppidis et pagis pluviali albo indutus sub magna umbella procedat; duas vel tres particulas in pyxide secum ferat: praeeunte qui tintinnabulum exagitet, qui bulgam cum corporali, vas aquae lustralis cum aspergillo, qui mensu-

lam ligneam parvulae umbellae coniunctam panno serico albi coloris adopertam gerat, in qua mensula, quum ad aegroti cubiculum ventum fuerit, pyxis superposito Corporali collocetur. Dum proceditur, canantur vel alternatim recitentur Psalmi, hymni, et preces consuetae.

III. Administrato Sacramento, Sacerdos eodem unde abiit apparatu ad Ecclesiam redeat; ibique commendato adstantium precibus aegroto, et edictis Indulgentiis concessis Fidelibus S. Viaticum comitantibus, benedictionem cum pyxide impertiatur: Indulgentiae ad calcem Synodi adnotabuntur.

IV. Si ad loca campestria et ab Ecclesia valde dissita deferendum sit Viaticum, tunc una tantum afferatur sacra Particula in parva pyxide serica bulga albi coloris occlusa, sericisque funiculis collo Sacerdotis appensa, et Sacerdos superpelliceo, stola, et velo humerali tantum indutus incedere poterit; angusta umbella utatur, et quatuor ad minus faces splendeant, et inde expleta Communione sacra indumenta deponat, privatimque domum sine ulla processionis forma quisque revertatur.

Curabit autem Parochus, ut pauxillum aegrotus pro viribus, et habita loci et adiunctorum considerantia, in gratiarum actione maneat, animo in tanti mysterii meditatione intento, et ut circumstantes ab intempestivis et ineptis garrulitatibus abstineant, datis super hoc e suggestu salutaribus populo suo monitis.

V. Demum in Paschali quindena omnes qui valetudinis causa ad Ecclesiam se conferre nequeunt, domi, vel aliquo in Sacello Communionem percipiant. Qua de re monito Dominica praecedenti populo de die, qua sacra functio peragetur, curet ut ipsa solemni pompa absolvatur.

CAPUT X.
De Missae Sacrificio.

I. Sacrosanctum Eucharistiae Sacrificium Sacerdotibus celebraturis ob oculos recurset quam excelsum opus aggrediantur: idcirco ne lethali ulla culpa foedati accedant, ne iudicium sibi manducent, et bibant; quotidie conscientiae suae rugas et maculas investigent, easque crebro ac semel saltem in hebdomada exomologesi expurgent. Ab intima animi munditie pios ne disiungant affectus, mentalem orationem, Matutini, Laudumque recitationem, intentionis directionem, in sacrario per aliquem temporis lapsum praescriptas preces effundant, et ab inanibus colloquiis abstineant: manus autem non modo antequam domo egrediantur, verum et in sacrario abstergant: ideo praecipimus, ut labrum vel marmoreum vel lapideum ad manus abluendas cum appenso manutergio mundo in omnibus sacrariis teneatur.

II. Nefas esto cuilibet Sacerdoti Missam celebrare sine habitu quem talarem vocant, et leges confirmamus hac de re a Praedecessoribus Nostris latas, (1) poenamque suspensionis ipso facto robur habituram inobedientibus. Ut autem mentem Nostram apertius patefaciamus, tolerabimus, ut exteri Sacerdotes (hoc est ab aliena Dioecesi in Nostram advenae), et subditi per Nostram Dioecesim iter facientes, Urbem, Oppidum, aut pagum aliquod petentes ad octiduum tantum in Missae celebratione utantur non dimidiata veste lateribus circumamicta, quae semper vetita censebitur, sed veste ab humeris ad talos usque prolixa, licet manicis destituta, atque in sacrario superinduta, qua etiam uti poterunt Sacerdotes in Ecclesiis campestribus a Parochiali,

(1) Syn. Solar. de Missar. cel.

vel a proprio domicilio dimidio milliari vel ultra disiunctis, dummodo brevior, qua induentur vestis nigri sit coloris. Praeter hosce casus tam exteri ultra octiduum, quam indigenae Sacerdotes quoquo tempore suspensionis supradicta poena plectentur, nisi vero et manicato talari habitu utantur quo extra Ecclesiam et Sacrarium amicti abibunt. Quare curet Sacrarii aut Ecclesiae Praefectus etiam in Ecclesiis Regularibus, ut nemini Sacrum facturo qui in casibus iam exceptis, vestem ad talos demissam non habuerit, sacrae vestes ad Sacrificium ineundum suppeditentur, secus et ipse eadem poena mulctandus.

III. A sacris peragendis arceri volumus qui tonsuram patentem non gesserint, qui incomptum vel laicorum more detonsum, vel calamistris ustulatum habent crinem, vel Ecclesiastico collari non sunt insigniti, vel non deponunt ocreas vel cothurnos. Nemo insuper sibi quae sunt solius Episcopi assumere audeat in celebrando, ideoque priusquam e Sacrario procedat, pileolum deponat, et annulum, licet doctorali laurea, vel quavis alia dignitate ornatus (1), comam fictitiam, vel caesariem quamque adscititiam, vel caliendrum pro libito non adhibeat sub poena suspensionis incurrendae, nisi pro illis gestandis opportunam obtinuerit facultatem.

IV. A sacro Altari etiam in Regularium Ecclesiis prohibitos iubemus exteros Sacerdotes vagos et ignotos sive Saeculares, sive Regulares, qui commendatitiis suorum Ordinariorum sint destituti (2). Qui vero litteras patentes Ordinariorum suorum quidem praeseferant, nondum tamen a Nobis vel a Vicario Nostro Generali visas et recognitas, semel vel bis tantummodo ad Missam celebrandam admittentur; quod si recursus facile haberi non possit, Vicarius Foraneus valeat litteras praedictas recognoscere, atque ad hebdomadam facultatem Missam celebrandi concedere; nolumus tamen ab Ecclesiarum Rectoribus, AEdituis, vel aliis

(1) Lambert. Inst. 34 N. 15. (2) Conc. Trid. sess. 22-23 cap. 16 4 de Ref.

stipendium pro illa quidem vice, ipsis tribui. Qua in re summopere circumspectos urgemus esse Ecclesiarum Rectores, ne pro rei gravitate in eos animadvertere cogamur.

V. Alienigenae Sacerdotes quicumque in hac Dioecesi domicilium locare cupientes, vel aliqua munia exercere, Nobis intra decem dies se sistant cum commendatitiis suorum Praesulum literis, necessariam facultatem assequuturi, aliter a Sacris illico erit eis interdictum.

VI. Sacerdotes caeremonias omnes in Rom. Missali traditas probe ediscant atque observent; et ante Missae celebrationem quae legenda sunt praevideant appositis signis in Missali orationes et collectas adnotando. Qui recens presbyteratu sunt initiati, ne primam adeant Missae celebrationem nisi facultatem a Nobis scripto habuerint; quam nunquam impertiemur nisi ostensa Magistri Caeremoniarum de peritia sacrorum Rituum probatione, et hanc facultatem Superiori Ecclesiae praebeant, in qua sunt celebraturi. Nemo etiam sibi sumat in Monialium Ecclesiis (in quibus et quolibet tempore sine facultate a Nobis, vel extra Urbem a Vicario Foraneo assequuta, Sacerdoti cuilibet celebrare vetamus) primum Sacrificium offerre, nisi apertam a Nobis licentiam implorarit. Occasione primae Missae nulla instituetur populi Clerique supplicatio, qua ad Ecclesiam celebraturum comitentur; Patrini, et Matrinae non adhibeantur; epularum ingentes apparatus, aut in ipso templo populum salutantem admitti prorsus nolumus: qui contra egerit suspensione a divinis ad mensem punietur. In septem Missis primam celebratam sequentibus, utatur alio Sacerdote assistente rituum scito, ac gnaro, tamquam comite, ac duce.

VII. Ut saepe Sacerdotes Missam celebrent vehementer hortamur, et diebus praesertim Dominicis, et Festis solemnibus. Saepissime vero Animarum Curatores iubemus ut incruentum Sacrificium offerant, nisi legitimo impedimento cohibeantur.

VIII. Missae nec ante auroram nec post meridiem quacum-

que repudiata excusatione apud quoque Regulares, absque legitima facultate celebrentur, tolerata tantum tertia horae parte, sive ante, sive post. Diebus festis, et praecipue ubi minor est Sacerdotum numerus, ordo inter ipsos servetur, et Confessarii antecedant. Sacra ne coacervatim a Sacerdotibus peragantur, sed alter alterum opportune subeat, ut populi commodo consulatur. Caeteris autem ferialibus diebus, detur opera, ut ab aliquo Sacerdote sacrum fiat summo mane, ut rusticorum, opificumque temporibus inserviatur, eidemque celebranti suadendum ut recitet post Missam iterante populo exercitium Christiani et Theologicarum virtutum, et Contritionis actus.

IX. Quum Tridentinis Patribus maxime cordi fuisset, ut fideles diebus festis intersint Missae Parochiali, hinc pulsato primo Missae solemnis seu Parochialis signo usquedum absoluta fuerit Evangelii explanatio, nulli alii fas sit Missam celebrare in eadem, vel in alia Loci Ecclesia, ne populus a Concione avertatur; nec liceat intra id temporis spatium Missae ibidem celebrandae signum dare, nec officium recitare, nullasque sacras agere functiones; secus enim Sacerdotes suspensioni, Ecclesias interdicto subiiciemus. In Sacellis vero ruralibus unica, quae diebus festis a Nobis sinitur Missae celebratio, sit circa solis ortum, vel hora a Parochis indicenda sub poenis a Nobis statuendis.

X. Nobis Pontificalia exercentibus, vel in eodem Altari ad quod ea die Sacrificium a Nobis peractum fuit, Missam nemo celebret, non habita antea a Nobis facultate.

XI. In nocte Nativitatis Domini una tantum Missa in Ecclesiis Parochialibus dicatur, vel Regularium; in nulla vero altera Ecclesia absque Nostra scripta licentia: quemadmodum etiam feria V. in Coena Domini in dictis dumtaxat Parochialibus, Regularium, et Monialium Ecclesiis una Missa tantum habebitur, nisi eam alibi celebrare necessitas postulet, vel quis peculiari Apostolico gaudeat privilegio.

XII. In Oratoriis nondum auctoritate Nostra approbatis Sacrum peragi a nemine praesumatur. In Oratoriis privatis liceat pro diebus minime exceptis, et pro personis in Apostolico Indulto designatis, dummodo et Auctoritate Nostra sint ipsa recognita.

XIII. Quisquis sit Missam celebraturus, in sacrario vestes sacras induat: calicem in Missis privatis sibi aptet, detegat, abstergat, atque operiat, nec unquam Clerico ad Missale assistente utatur: binae tantum candelae in Missae privatae celebratione accendantur, non uno palmo breviores. Videant porro Sacerdotes et sacrarii Praefecti, ut vino albo quoad fieri possit, utantur, et caveant attente, ne minus aptum sit Sacrificio, vel incipiat acescere; et quod hac de re Rubrica praescribit scrupulose servetur, et sacrario inservientium diligentia circa urceolorum, aliarumque supellectilium munditiem excitetur. Pro arbitrio collectae non adiungantur. Celebrantes demum caveant, ne propria festinatione ministri verba mutilare vel praeripere cogantur, et ipsi quae dicenda sunt praecipiti lingua non absumant et devorent, et quae agenda nimium propere non agant; a morosa tarditate, quae taedio, a nimia festinatione quae scandalo afficeret adstantes, aeque sibi temperantes, ita ut Missa neque sit dimidio horae productior, neque tertia horae parte brevior. Si quis in hisce carpatur, primum a Parocho moneatur, deinde si persistat, ad Nos referat ut provideamus.

XIV. Exoptantium intra Missam Communionem suscipere, desiderium expleant Sacerdotes particulas consecrando, et eo libentius, quod non eos fugit votis Tridentini Concilii obsecundaturos.

Confecto Sacrificio, graviter iterum in sacristiam se recipiant, ibique non proiectis, sed modeste depositis sacris vestibus, nullo pacto ad alia divertentes, congruum temporis spatium in oratione et gratiarum actione insumant: quod ut eo melius assequantur, otiosorum coetus et sermocinationes prohibentor, et silentium, quoad fieri potest, imperetur, atque ora comprimantur.

XV. Ecclesiarum Rectores et Administratores diligenter curabunt, ut paludamenta sacra non sint assutis panni resegminibus male composita, sed decenter munda et elegantia: amictus, pallae, corporalia, purificatoria gestare debent fixum acu saltem filo ducto Crucis signum; haec autem omnia, tum etiam linteola, necnon mappae Altare operientes, ac Albae quibus Sacerdotes induuntur, non ex gossypio, sed ex lino vel cannabe esse debent ex S. Rit. Congr. praescripto (1).

XVI. Quum vero ita vetustate obsoleta sint et lacera ut nulli sacro usui sint apta, comburantur, et cineres in sacrarium mittantur. Altare tribus mappis cooperiatur (vel saltem duabus, una plicata pro duplici inserviente) quarum superior ita sit oblonga, ut ad ima usque latera pertingat; et ne pulvere foedetur, tempore divinis officiis vacuo alia mappa, seu tela caerulei, alteriusve coloris obtegatur. Lapidea iustae dimensionis tabula non desit rite per Episcopum consecrata, tela involuta, ita Altaris mensae insita, ut nulli pateat evertendi calicis periculo. Nusquam demum liceat sacra vasa vel supellectilia pignori commodare, profano usui destinare, venumdare, aliove pacto distrahere, etiam urgente gravissima causa, sine Nostro assensu.

XVII. Quum novos calices, patenas, aliave sacra vasa aut sacra indumenta comparari contigerit, ne prius usuveniant, quam Nostra consecratione vel benedictione donentur; quemadmodum et novam consecrationem postulant calices et patenae, si interiori crusta abrasa aut desquamata, iterum auro sint obliniendi. Frustra autem Ecclesiarum Rectores, harum rerum sive benedictionem sive consecrationem a Regularium Superioribus peterent, qui sacra vasa aut indumenta pro alienis Ecclesiis benedicendi omni prorsus carent potestate (2).

XVIII. Altari inservientibus Missarum eleemosynam concessit Ecclesia. Illa Sacerdoti eroganda est, quae iuxta cuiusque

(1) 13-18 Maii 1819.

(2) Lambert. Inst. 21. vol. 1.

loci consuetudinem obtinuit. Ne minima quidem ex tali summa pro utensilium manutentione detrahatur sine Nostra licentia. Qui ad manutentionem ex fundatione tenentur Beneficiati et Capellani, ni iam conventa fuerit vel a testatore praescripta, in duos solidos constituimus. Libenti animo hac de causa indulgendam favore Ecclesiae arbitramur summam congruam ubi officium pro defunctis, aut celebritas aliqua cum Missarum apparatu peragatur. Manutentioni erga Ecclesiam subsint legata perpetua.

XIX. Etsi possint Sacerdotes urberiorem quam mox innuimus stipem a sponte donantibus pro Missis celebrandis accipere, dummodo procul absint dolus et pactio quaecumque; si tamen alteri Sacerdoti Missam pro qua pinguiorem eleemosynam habuerint, celebrandam committant, integram ei erogandam sciant, nec posse minorem tradi, etsi minus in illo loco detur celebranti emolumentum; immo etsi eidem Sacerdoti consentienti se maiorem stipem accepisse fateatur. Caveant igitur summopere Sacerdotes et laici ne turpem et criminosum ex Missarum eleemosynis quaestum exerceant aliqua eleemosynae parte sibi retenta: laicus enim in excommunicationem solum auctoritate Pontificia diluendam incidit: Sacerdos vero vel Clericus suspensionis penam pariter Summo Pontifici reservatam eo ipso incurrit (1). Vetitum insuper esto, Nobis inconsultis, Missas celebrandas committere vel extra Dioecesim, vel ignoto Sacerdoti, sub poenis arbitrio Nostro infligendis.

XX. Ne sinant Parochi, ut in schedulis quibus ad Missas celebrandas cientur Sacerdotes, exprimatur eleemosynae summa iisdem retribuendae; hoc Ecclesiae Ministris et ministerio pudendum.

XXI. Sacerdotes eleemosynas accipientes, ut Sacra peragant, ne Missarum numerum imminuant, etsi minus debito sibi satisfactum putent: tempore etiam et loco ab offerentibus designatis onus praescriptum adimpleant.

(1) Bened. XIV. Encycl. *Quanta cura.*

XXII. Nullus Sacerdos plurium Missarum onus suscipiat, quam intra duos menses valeat celebrare sub poenis Episcopo arbitrariis, nisi agatur de legatorum implemento. Unusquisque apud se libellum tueatur in quo singulis diebus, et pro quibus Missae celebratae adnotentur.

XXIII. De celebrantibus haec satis. Ab audientibus autem haec assequi studeant animarum Rectores, videlicet ut qui rationis usum adepti sunt, diebus festis Sacro intersint, et etiam aliis diebus si possunt; in Ecclesia, non e fenestris, non e loco extra Ecclesiam Missae adsint, nisi adeo angusta Ecclesia sit, ut omnes capere recuset. Aperto semper viri sint capite, mulieres velato, et quoad fieri potest a viris seiunctae: integrae Missae intersint, nec antea discedant, quam Sacerdos benedictione impertita Evangelium absolverit: omnes ita se componant, ut toto corporis habitu religionem et reverentiam praeseferant, et cum devoto mentis affectu se ibi esse significent. Nemo ita prope ad Altare accedat, neque in eius gradibus haereat, ut perturbetur Sacerdos, et iste antequam Missam inchoet, haerentes praesertim si mulieres fuerint, arceri iubeat: quo celebrante, idipsum minister quilibet praestet. Quae omnia et mysticas caeremoniarum significationes et animi dispositiones fidelibus interdum concinnis verbis Parochi debent explanare.

XXIV. Demum aliquid praetermisisse verentes, Decreta Urbani VIII ab Innocentio XII confirmata super Missarum celebratione omnibus observatum iri mandamus.

CAPUT XI.

De Legatis, et Missarum oneribus.

I. Huius Dioecesis Ecclesias ex munere perlustrantibus, heu! nimium frequens Nobis illud occurrit, nonnullos Missarum onera

vel supremis tabulis imposita, vel fundationibus Ecclesiasticis constituta probrose conculcare. Ob quae cum ad Episcopos iuxta Tridentinum spectet vigilantia super legatorum aliarumque piarum dispositionum implementum, animarum curatores totis viribus hortamur, ut negligentium inertem conscientiam acriter exagitent; ipsisque vel e suggestu vel privatim gravissimas poenas etiam temporales ob oculos ponant in illos, qui inhumana in demortuos crudelitate propitiatoria alio devertunt, ad alia detorquent sacrificia: et singulis annis, mense Februario, de Missarum omissionibus quae superiori anno fortasse contigisse potuerint Nos edoctos velint, neque nocentium nomen ac praenomen conticeant.

II. Qui Legi 29 Martii 1802 innixi beneficiorum bona sibi tribuerunt, nisi onera absolvant in fundationis limine imposita ab eadem lege sarta tectaque servata, sciant Nos omnem esse operam daturos, ut bonorum portio e caeteris evellatur; eaque Ecclesiae, in qua primum fuerat beneficium erectum addicatur, quemadmodum iam pluribus Senatusconsultis fuit constitutum.

III. Parochi, Sodalitiorum administratores, aliique Templis Praefecti, neutiquam sibi amplius licitum arbitrentur, sub poena interdicti latae sententiae, perpetua Missarum onera suscipere vel repudiare absque Nostra scripta facultate, ut praeclare sanxerunt Urbanus VIII et Innocentius XII. Hisce autem minime Nostram apponemus probationem, nisi omnibus detractis quovis tempore expensis, libella una cum viginti centesimis cuilibet Missae respondeat.

IV. Fundationes huiusmodi censebuntur adimplendae a Parocho illius Ecclesiae in qua factae sunt; nisi aliter expressa mentione in fundatione cautum fuerit.

V. Si aliquae expensae faciendae sint ut servetur legatum aut piae fundationi consulatur, ab illo cui incumbit Legati onerum satisfactio, si ex fructibus compensari nequeant, ad Nos recursus habeatur ad congruam onerum reductionem consequendam, si expensae utiles et necessariae factu reputabuntur.

VI. Qui in designata Ecclesia certo Altari, vel stata die celebrare tenentur, nec diem, nec Aram, nec Ecclesiam, Episcopo inconsulto, mutare possunt: secus, praeter culpam, Missarum oneribus minime satisfecisse sciunto.

Idem intelligatur, quando per dies, hebdomadas, vel menses a fundatore fuerint Missae distributae; nec licet tunc pro libito etiam anticipati suffragii excusatione eas acervatim celebrare.

VII. Ut planius ac liquido de onerum satisfactione constare possit, oportet ut a testatore designetur Ecclesia, in qua Missae sunt celebrandae. Si testator numerum Missarum non praefinierit, nemo super hoc arbitretur, sed Episcopum consulat. Ubi vero Ecclesia a testatore designata non existat, aut esse destiterit, congruum est, ut in illa celebrentur Missae in qua tumulatus ipse quiescit; si haeredi et Capellano aliter visum, certa intra annum designari curent ab Episcopo Ecclesia, in cuius tabella onus describatur, ut de ipsius implemento fides fiat. Si vero extraneus Missas in hac Dioecesi absque designatione Ecclesiae legaverit, adimpleatur legatum in Paroecia, in qua domum vel agros possedisse dicatur, si neutrum, in Ecclesia per Nos designanda.

VIII. Advertant Beneficiati et Capellani omnes teneri Sacrificium applicare pro fundatore, etsi in fundatione id non reperiatur manifestum, quum ii qui pro Missis emolumenta conferunt ad hoc communiter inspiciant. Si liberam celebranti applicationem fundator reliquerit, solumque populi vel aliorum commodum spectasset, noverit Celebrans tunc posse pro se vel pro aliis ex pietate offerre: minime tamen aliam stipem pro ea Missa recipere, ut persaepe interdixit S. Congregatio Concilii (1), nisi secus de contraria voluntate haud ambigue ostendatur.

IX. Capellanus ratione legati vel stipendii aut per se aut per alium offerre obstrictus, numquam officium deserere potest, nisi

(1) 7 Ian. - 6 Feb. 1627. — 18 Mart. 1662. — 31 Mart. 1719.

per alium suppleat, dummodo aliter in fundatione non fuerit significatum (1).

Ubi e verbis erectionis expresse evincatur, Capellanum Missarum celebrationem per se ipsum peragere debere, non recte se gereret qui per alios munus adimpleret (2).

X. Missarum onus regulariter censetur perpetuum: si dubium oriatur an satisfactionis tempus elapsum fuerit, Episcopus consulatur. Nemo privata auctoritate detrahere, vel moderari audeat Missarum numerum: non si Beneficii, Capellaniae, vel legati proventus extenuati fuerint, vel fundi ex parte perierint, vel deteriores evaserint; qui temere ita reputaverit, sciat adhuc celebrandas esse Missas, quae omissae fuerint, praeter alias poenas arbitrio Nostro statuendas.

XI. Ne onerum susceptorum memoria pessumdetur, descripta iugiter maneant in tabella palam in sacrario cuiuslibet Ecclesiae etiam Sodalitatum, et Sacellorum, in qua (3) sive perpetua, sive temporaria onera recenseantur, ad quae Ecclesia, Parochi, Beneficiati, Capellani, Legatarii, et Sodalitates devinciantur: in ipsa pateat, pro quibus, qua die, quo in Altari Sacra sint offerenda; neque praetereunda nomina fundatorum et tabellionum, in quorum actis, indicato die, mense et anno, institutio continetur. Si quae reducta aut penitus deleta fuerint, dicatur quo tempore, quare, et qua auctoritate id acciderit, ut saltem grata fundatorum fiat in publicis orationibus recordatio: quae omnia uberius in libro ad id comparato adnotentur.

Ecclesiarum Praefecti, Parochi et Sodalitatum vel Sacellorum officiales, qui tabellam ut diximus, exaratam non exposuerint intra sex menses gravibus poenis subiicientur.

Qui vero tabellam hanc data sententia lacerare, vel occulere ausus fuerit, excommunicationis nota inuretur.

XII. Praeterea in omnibus sacrariis etiam Confratrum apertus

(1) Ben. XIV. De Syn. Dioec. lib. 12. cap. 9. (2) S. Cong. Conc. 13 Aprilis 1683. - 15 Dec. 1708. (3) Innocent. XII. Const. *nuper* an. 1697.

habeatur liber in quo separatim dictae singulae obligationes iterum notentur ex una parte; ex altera vero quilibet Sacerdos, ad quem spectarit, testetur se statis diebus eas adimplesse; vel si per alium satis fecerit is alius scripto fidem faciat.

Item si quis legitimam consecutus veniam Missas Beneficii vel Legati alio celebrandi, tenetur singulis annis adtestationem celebrationis mittere ad Rectorem Ecclesiae, in qua Beneficium vel Legatum fuit constitutum, ut in huius Ecclesiae codice de oneris satisfactione veritas explorata patescat.

Insuper, quum vel temporarii Legati titulo, vel Religionis ergo aliquae eleemosynae manuales, ut aiunt, a Fidelibus propter Missae celebrationem tradantur, alter distinctus erit liber, in quo et munus susceptum et muneris satisfactio describatur. Quae adnotationes a quolibet Sacerdote singulis diebus, priusquam ab Ecclesia discedat, fieri debent.

XIII. Qui igitur in hisce tesseris Missas a se celebratas modo lucido non describit, qui Missam adnotat ea die a se celebratam seu applicatam quam reapse non applicarit, qui aliena manu Missam tamquam a se celebratam effinxerit, quam alter pro eo celebravit, hi omnes Missas repetere tenentur (1), ac in ipsos graviter animadvertemus, ac si officio suo defuissent.

Si quis (quod Caelum avertat) plures quam reapse celebraverit, Missas scienter et fraudulenter inscribere ausus erit, suspensioni a Divinis ipso facto obnoxius esto.

Item si quis eas per trimestre praetermiserit, ad quas vi Beneficii, vel Legati certis diebus adimplendas devincitur, pariter ipse suspensionem subibit.

XIV. Qui Missas celebrare tenentur ad ratam proventus proprii Beneficii, Capellaniae vel Legati, iidem librum habeant, in quo visendos adamussim praebeant fructus perceptos; ut si a Nobis requisitio instituatur, congruam probationem hauriamus: in morosos vel inobedientes acre fiet iudicium.

(1) Const. Clem. XI. 25 Iun. 1708.

XV. Quotiescumque Ara ubi celebrare oportet, vel interdicta esset, vel praescriptis carens supellectilibus, hisce casibus in Maiori Ara, vel, si impedita fuerit, in alia eiusdem Ecclesiae interim Missae offerentur.

XVI. Nemo etiam perpetuarum eleemosynas Missarum solo Sacerdotis chirographo contentus persolvat, nisi eidem accedat vel Legatorum Promotoris, vel Parochi declaratio in sacrarii libro fuisse inscriptas; secus periculo se exponet Missarum onera iterum implendi.

XVII. Libri huiuscemodi sedulo custodiantur a Parochis et sacrarii Praefectis, ut fides de onerum satisfactione eluceat; eosque invisendos et recognoscendos exhibeant, sive Legatorum Promotori, sive Revisoribus a Nobis ad id munus obeundum delectis.

XVIII. Qui religiose legata servant, videant ne ab haeredibus et successoribus negligi possint. Quapropter animarum Curatores, si aliqua suspicio irrepserit an haeres vel successor sit onerum obliturus, supremis tabulis, vel actu inter vivos caveant, legatis exempli gratia, vel cessis Ecclesiae bonis, quae oneribus aequiparentur.

CAPUT XII.

De Sacramento Poenitentiae.

I. Deus qui dives est in misericordia et miserationibus, et qui cognoscit figmentum nostrum, alteram etiam post naufragium tabulam nobis peccantibus exhibuit, Sacramentum videlicet Poenitentiae instituens quo lapsis post Baptismum reconciliationis donum confertur. Igitur animarum Moderatores fideles adhortentur, ut, non Paschali dumtaxat tempore, vero crebrius etiam per annum, sollemnioribus saltem festis ad hoc Sacra-

mentum accedant. Ipsos monitos velint quoque ut decursu Quadragesimae conscientiam expurgare satagant commodius, neque omnes in Maiori Hebdomada Ecclesiasticae legis solutionem praestolentur.

Tum ipsi, tum caeteri Verbi Dei praecones frequenter Fideles edoceant, quid hoc Sacramentum suscepturi afferre debeant; quomodo se praeparare, qua diligentia suae quisque conscientiae latebras explorare; quibus animi cordisque dispositionibus se sistere, quid credere, quid sperare, quid agere, quibus excitati caussis dolere; quid firmiter statuere debeant, ut saluberrimos Sacramenti fructus consequantur.

II. Nullus Sacerdos sive saecularis, sive regularis (Parochis exceptis, quos pro universa Dioecesi approbatos declaramus dum in officio permanserint) praesumat Sacramentales Confessiones excipere, nisi antea a Nobis fuerit legitime approbatus sub poena excommunicationis illico incurrenda, nisi de mortis articulo res sit, quo Sacerdotes omnes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt (1).

Hisce temporum adiunctis tamen advertant Sacerdotes, ab infirmis in mortis articulo constitutis, censura Nobis aut Sanctae Sedi reservata obstrictis, reposcendam prius esse promissionem tum parti laesae satisfaciendi, tum Superiorem adeundi, ut eius mandata suscipiant, si convalescant; idque sub poena reincidentiae.

III. Nemo ad Sacramentale Confessionum excipiendarum munus admittetur, nisi praevio experimento Nos certiores etiam atque etiam fecerit, sufficienti doctrina, multisque virtutibus pollere.

Praeterea tum qui hoc officium primo suscipere cupiunt, tum qui habitae facultatis prorogationem velint, proprii Parochi et Regulares sui Superioris testimonium praeferent, quo

(1) Conc. Trid. sess. XIV. cap. 7. et sess. XXIII. de ref. cap. 15.

Nobis eniteat de eorum prudentia, scientia, moribusque intaminatis.

Nobis insuper liquidum fiat eosdem casuum moralium disputationi ac divinis officiis interfuisse, Confessionis Sacramentum frequentasse, et Catechismi explanationi incubuisse. Nobis autem metipsis pollicemur, Parochos, et Regularium Superiores prudentes, et sinceros in huiusmodi testimonii dictionibus se praestituros, ne ad tantum ministerium exercendum admittamus, aliena fide decepti, non necessariis dotibus apprime praeditos, et instructos.

Neminem demum facultate excipiendarum Confessionum donabimus, quin antea Gregorii XV, et Benedicti XIV Constitutiones contra sollicitantes intentissime perlegerit, quin et professionem Fidei pronuntiaverit (1).

IV. Facultatem hanc ad tempus concedemus; et iunioribus Sacerdotibus, nisi aliqua causa aliter postulaverit, pro maribus tantum impertiemur. Qui autem generatim Confessarii approbati sunt, sciant fas ipsis numquam esse Monialium confessiones excipere, et pro uno Monasterio approbatum pro alio minime censeri.

Volumus autem ut quotiescumque agetur de Confessariorum electione, sive in sacrarum Virginum Congregationibus sive in puellarum hospitiis et gynaeceis (vulgo *conservatorii*) ii ad quos spectat electio, antequam haec fiat, Nos consulant, Nostrumque iudicium exquirant.

V. In hoc sancto munere confirmationem exoptantes, litteras primae approbationis ante mensis Februarii finem in urbe Curiae Nostrae, in Dioecesi Parocho tradant, qui eas simul collectas Vicario Foraneo statim remittet, cuius erit ad Nos ante diem sextam Martii confirmandas reddere.

Si quid de Confessariis Nobis aperiendum alteruter, vel uterque duxerint, per epistolam Nos edoceant.

(1) Ad calcem Synodi.

Quilibet Confessarius, postquam proprias litteras Curiae vel Parocho tempore constituto, commiserit, iurisdictione adhuc polleat, donec easdem recuperaverit, nisi sibi ablatam potestatem noverit.

Si quis vero oblivione minime suspiciosa litteras approbationis non remiserit, adhuc ipsi iurisdictio permanebit, et quidem etiam post oblivionem detectam ad viginti dies sequentes, ut praedictas literas iterum a Nobis confirmatas obtinere queat: quo tempore exacto, si confessiones scienter excipere audebit, minime prorogata licentia, gravibus exercebitur poenis, quippe qui iurisdictione destitutus.

VI. Quemadmodum pessime vocationi respondent, qui Ordinis potestate perperam, et inoperose insigniti abeunt, ita omni studio a singulis est contendendum, ut sacrarum rerum doctrina, et virtutum omnigeno praesidio instruantur, ut tanto ministerio digni evadant, et postea sibi, et poenitentibus optime consulant: memores salutem aeternam peccatoris, vel ipsius damnationem quammaxime a Confessariis saepissime pendere.

Ideoque diurna nocturnaque manu monita versent D. Caroli, D. Francisci Salesii ad Confessarios, et praxim Confessariorum S. Alphonsi De Ligorio.

Assiduis etiam precibus se, et poenitentes Deo commendent, et quoties hoc verendum munus aggrediuntur, preces pie et intenso animo fundant tam ante, quam post ministerium absolutum.

VII. Externus Confessarii habitus officii dignitati haud dissentaneum se praestet.

Confessiones excepturi extra sedem confessionalem, Sacerdotes veste talari induantur, et stolam violacei coloris; in sede vero ipsa superpelliceum etiam gestent, saltem diebus festis, praecipue si pluribus sit praestanda poenitentibus auditio.

VIII. Sedes confessionalis, quae nunquam in Oratoriis locanda est nisi Episcopo annuente, sit decenter constructa, et in conspicuo Ecclesiae loco sita. Fenestellam utrinque in lateribus

habebit, crates, seu lamina perforata asseribus infixa. Has crates tegat insuper ostiolum ita statutum, ut eo aperto dum poenitentem audit, a caeterorum aspectu se subtrahat Confessarius. Ex parte exteriori ostium adsit sera, et clavi munitum, ne laicis aditus pateat ad sedendum, vel dormitandum: intus super fenestellam sit Casuum index Nobis reservatorum: foris ex utraque parte affixa conspiciatur Crucifixi imago.

IX. Mulierum confessiones sub poena suspensionis a Confessionibus excipiendis, nonnisi in sede Confessionali cratibus instructa audiant a latere tantum, non ante; et diurno tempore, scilicet post solis ortum, et ante illius occasum, nisi infirmitas vel alia gravis necessitas aliter postularet, aperto tamen cubiculi ostio, vel alia adhibita cautione.

Sin tempore Exercitiorum Spiritualium, propter frequentiam populi, rerum adiuncta cogerent, mulierum confessiones etiam nocturnis horis exaudiri veniam concedimus, dummodo in Ecclesia hinc et inde a qualibet sede confessionali geminae ardeant faces: nec viri ulli sinantur ad illud sedilium latus accedere, ubi mulieres consistant, et Ecclesia sit satis illuminata. Quoad virorum confessiones optandum ut in loco sacro excipiantur.

X. Sedentes pro Poenitentiae tribunali placidum, neque unquam mutandum vultum ostentent: paterna charitate omnes indiscriminatim excipiant; laxas aeque ac nimio rigore scatentes opiniones devitent.

Si ignotum, ac praesertim rudem poenitentem audierint, initio quae eius conditio, quod vitae genus, quampridem confessus sit investigent: an alias iniunctam poenitentiam expleverit: an conscientiam excusserit, an Fidei rudimenta calleat, et actus Theologicarum virtutum et Contritionis elicuerit.

A patribus familias insuper sciscitentur an filios, et famulos Christianae Doctrinae imbui conentur, an et qua de causa morosi debitores sint erga pia loca, et an pias defunctorum voluntates adimpleant.

Diligenter quoque peccatorum numerum inquirant, speciem, circumstantias, quae peccati speciem mutant, vel notabiliter eius malitiam augent, ut quando, et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, penitus dignoscant. Hinc ob mentem habeant propositiones de consuetudinariis, recidivis, et in proxima peccandi occasione existentibus a S. Sede damnatas, et quae in ordine ad hoc Sacramentum confixae sunt a Bulla *Auctorem Fidei:* a nimii rigoris, et nimiae laxitatis nota pariter abhorrere studeant, et suis privatis opinionibus in rebus dubiis nimis non adhaereant, sed spectatissimos scriptores, et praecipue quorum doctrina ab Ecclesia examinata, et probata fuit consulant.

Quod si e factis interrogationibus hauserit Confessarius poenitentium aliquos de quibusdam gravibus peccatis nunquam fuisse legitime confessos, aut anteactas confessiones, propter aliquod vitium, nullas fuisse reperierit, poenitenti praescribat, ut generalem vitae praeteritae confessionem faciat.

XI. Ab imprudentibus, inanibus, vel curiosis interrogationibus abstineant Confessarii: poenitentium aetatis, sexus, et ingenii rationem habeant, ne aliquibus temere ignotas peccandi vias commonstrent, et crimina promoveant.

Noxae complices a poenitentibus (sub gravibus poenis in Apostolicis Constitutionibus latis) perperam ne inquirant: et confessionis integritati consulere studentes, caveant tamen ne illorum vel poenitentium nomen, habitationem, aliasve qualitates, et adiuncta, quae nihil ad necessariam Confessionis integritudinem referant percontentur.

XII. Sacramenti Poenitentiae ministri caute procedant nedum in iis absolvendis, quos alii inabsolutos dimisere; sed erga illos praecipue, qui absolutionis incapaces sint: qui nulla dant doloris signa, nec determinatam praebent a sordibus abstinendi voluntatem: qui praecipua Fidei mysteria ignorant; qui proximam peccandi occasionem deserere; damna et iniurias rebus,

personis, famae illata rependere; inimicitiis valedicere, et publica scandala reparare differunt, vel recusant; mulieres ad scandalum ornatae et nudato pectore ad tribunal accedentes; vel qui filios, servos, sibique obnoxios ad Doctrinam Christianam discendam mittere negligunt; qui peccata et confessionem sine ulla emendatione alternant; hi omnes benigne quidem recipiantur, verum minime a Confessario absolutione donentur, nisi vera, et germana praestent Contritionis documenta. Si contigerit absolutionem differri, non aspere dimittantur poenitentes, sed suaviter et comiter edocendi sunt quid agere debeant, ut ad gratiam in Sacramento recuperandam se disponant.

XIII. Si ineunte, vel procedente Confessione audierit Sacerdos sibi aperiri peccata, quae aut Summo Pontifici, aut Nobis reservata sint, quo casu absolutionem impertiri nequeat, non ultra auditionem producat, quam poenitentem moneat de reservatione; multo minus absolvere audeat, caeteroquin excommunicationem incurreret.

Sciant propterea Confessarii strictum munus sibi incumbere omnes nosse casus tum Summis Pontificibus, tum Nobis reservatos, quos postremos hic exhibemus, priores vero, qui facilius occurrere possunt dabimus in appendice.

CULPAE ORDINARIO RESERVATAE.

I. Blasphemia in Deum, aut SS.^{mam} Virginem Deiparam.

II. Periurium in quocumque iudicio, etiam sine damno tertii.

III. Parentum percussio, aut eis alimentorum denegatio.

IV. Homicidium volontarium, eique directa cooperatio, effectu secuto.

V. Abortus ex industria procuratio, licet effectu non secuto.

VI. Detentio infantium in lecto aetatis anno nondum expleto, omissa cautione cunarum, vel firmi alterius repaguli.

VII. Incestus cum persona spirituali cognatione coniuncta, vel cum persona consanguinea in primo, et secundo gradu; aut cum affini in primo tantum gradu.

VIII. Stuprum cum violentia.

IX. Copula inter sponsos et sponsas ante contractum matrimonium.

X. Lenocinium in uxores, seu filias, seu alias foeminas.

XI. Sodomia sive perfecta sive imperfecta, etiam incompleta: Bestialitas etiam solummodo incoepta.

XII. Incendium consulto, et data opera excitatum, tum illius mandatum.

XIII. Staterarum, vel mensurarum, vel monetarum adulteratio.

XIV. Iniusta usurpatio, vel detentio, aut dolosa destructio scripturarum gravis momenti ad Ecclesias, vel loca pia spectantium in earum Ecclesiarum, aut locorum piorum damnum.

XV. Rationum administrationis bonorum ad Ecclesias, vel pia loca spectantium dilata redditio ultra biennium et mensem; nisi dilata fuerit ex iusta causa ab eo, qui administrationi praeest, expresse approbata, vel cum licentia Superioris.

XVI. Legatorum ad pias causas ultra annum dilata solutio absque Ordinarii facultate. Solutis autem legatis reservatio cessat.

XVII. Clandestina matrimonia non modo contracta, sed etiam attentata contra formam Concilii Tridentini.

XVIII. Carnis comestio, vel subministratio ad comedendum diebus, quibus eiusdem usus ab Ecclesia interdictus est, sine legitima causa, vel licentia Superioris.

XIV. Ut tamen difficultatibus, et Confessariorum et poenitentium anxietatibus occurramus, Casuum Reservatorum explicationem, quam Antecessor Noster f. r. Ioseph M. Archiep. Grimaldi XIII. Kal. Ian. 1826 imprimi mandavit, quamque neminem taedeat saepius consulere, confirmamus, declarantes quemlibet Confessionis Sacramentalis Ministrum a Nobis probatum posse a culpis omnibus Nobis reservatis absolvere in sequentibus casibus imposita tamen peculiari et salubri poenitentia.

1° Adolescentes utriusque sexus ante decimum quartum annum completum;

2° Capite plectendos, vel tantum carcere inclusos;

3° Laborantes infirmitate, quae eos domo exire prohibet iudicio prudentum, cum Sacramentalem confessionem emittere debent, aut cupiunt;

4° Sponsos, sponsasque cum paratae sunt nuptiae intra octo dies celebrandae;

5° Poenitentes, quibus absque scandali, aut gravis probri periculo nequit prorogari absolutio, quum aliunde dispositi censeantur; quod profecto semper subintelligitur;

6° Sacerdotes quoslibet, qui Missae celebrationem, aut Sacramentorum pro nata occasione administrationem praetermittere non possent absque scandalo, vel nominis iactura, vel aliorum damno spirituali;

7° Eos qui generalem peccatorum totius vitae, vel particularem unius, aut plurium annorum confessionem instituunt, cuius necessitas vel certa sit, vel saltem prudenter dubia;

8° Illos demum, qui reservationem ignoraverint quo tempore in crimen reservatum prolapsi sunt.

Hi tamen de reservatione moniti certiores fiant, non esse in posterum absolvendos, si forte in idem crimen relabantur, nisi ab eo, qui legitima quoad culpas reservatas potestate sit praeditus.

Quotiescumque vero circa aliquam reservatam culpam prudens oriatur dubitatio, eadem culpa non censebitur reservata, sive *dubium sit facti*, sive etiam sit *dubium iuris.*

XV. Si Confessarius in poenitentes offenderit, qui restitutione rerum vel famae teneantur, illos urgeat, si possint, adstrictos esse ad restitutionem.

In hisce pertractandis caute se gerat Confessarius, et probatis cordatisque auctoribus adhaerens, a iustitia ne latum quidem unguem discedat.

Si cuidam facienda sit restitutio, id agat potissimum cum poenitente, ut illi restituatur, qui damnum pertulerit, non pauperibus, non Ecclesiae, aut ulli piae fundationi. Cum opera et

intermedio Confessarii uti voluerint poenitentes ad restituendam rem alienam, ne se ipsi prodant, non dedignetur Confessarius: testimonium tamen pecuniae vel rei acceptae ab eo cui fuerit restituta excipiat poenitenti exhibendum.

Quando autem aliquid est in pios usus convertendum, si summam libellarum sex excedat, Ordinarii arbitrio et dispensationi ex veterum Patrum instituto, et priscis moribus reservatum intelligatur.

XVI. Sollicitationis crimen utpote gravissimum exhorrescant. Poenitentes a Confessario ad turpia sollicitatos moneant de obligatione sollicitantem ad Ordinarium denunciandi.

Participem, seu complicem in peccato turpi absolvere non audeant, secus irrita esset absolutio. Quae Pontifex Maximus de potestate ademta Confessario complici in peccatis turpibus optime decrevit (1) opportunum iudicamus ad eos etiam extendere, qui veneficiorum, sortilegiorum, abortus procurationis sive opera, sive consilio, effectu etiam non secuto, cum poenitente participes fuerint.

Advertant praeterea Confessarii, etsi humaniter cum poenitentibus agere oporteat, a nimia tamen familiaritate, cum altero sexu praesertim, esse abstinendum: ab ipsarum idcirco domibus frequentandis, etiam collationum spiritualium causa sibi temperent: prolixas immo in subsellio ipso confessionali cum mulieribus de rebus spiritualibus sermocinationes devitent.

XVII. In peccatorum confessione audienda caveat Sacerdos, ne aliquo oris, vel corporis signo gestuve, irae vel stuporis vel aversationis indicio occasionem incaute adstantibus ostendat suspicandi, gravia et portentosa sibi aperiri peccata. In operibus satisfactionis, tum ad praeteritorum criminum vindictam, tum ad novae vitae custodiam, et infirmitatis medicamentum, eam sectetur rationem, quam, spectatis peccatorum numero, gravi-

(1) Constit. *Sacramentum Poenitent. et Apostolici muneris.*

tate, poenitentis statu, conditione, sexu, aetate, doloris etiam maiori, vel minori vehementia, spiritus, vel prudentia admonuerint; ita ut nunquam pro occulto crimine publicam poenitentiam iubeat; et ex Tridentini Concilii sententia non videatur Confessarius peccatorum particeps fieri cum poenitentibus, indulgentius, quam aequum sit agens levissimam reparationem pro pergravibus delictis praescribendo. Hoc quoque data opera observandum volumus, ut quum eleemosynarum largitiones Confessarius sive saecularis, sive regularis in satisfactionem iniungendas autumarit, nunquam sibi vel suis, vel Ecclesiae suae applicari aut iubeat, aut suadeat: neque ipse sibi eas distribuendas sumat, sed poenitentium arbitrio faciendas omnino relinquat.

Si tandem Missas pro poenitentia decreverit, ne illas quidem sibi vel Ecclesiae suae addicat, ne propriae utilitati Parochus vel Confessarius studere in suspicionem vocetur.

XVIII. Iniuncta salutari poenitentia, ac elicito a poenitente Contritionis actu, absolutionis formam, quae in Rit. Rom. praescribitur, submissa voce, distincte tamen, et graviter pronunciet Confessarius, efficiatque ut interim poenitens nihil recitet, sed audiat sibi absolutionis sententiam proferri.

XIX. Peccata omnia etiam levissima, nulliusque ut ita dicamus, momenti, in Confessione patefacta, religioso silentio premant Confessarii sub poenis per Canones constitutis. Si e re erit, ut prudentioris consilium sit implorandum, caute admodum, generatim, supressaque causa id assequantur. Si poenitens sponte, ultro, liberrime, nec rogatus assentiatur, Confessarium de auditis extra Confessionis tribunal loqui, data facultate utatur quidem, quandoquidem res urgeat, et poenitenti hoc expediat; prudenter tamen, ac in verba conferat paucissima. Demum, si poenitente postulante auditae Confessionis dari scriptum testimonium contingat, ut omne vitetur secreti violandi periculum, et ne mentiatur, sancimus Confessarios omnes hac uti formula:

Anno..... die.... mensis......... confitentem audivi N. N. in Paroecia N. N. habitantem, meoque munere sum functus. N. N.

XX. Quoniam vero omnibus, sic maxime necessaria est Confessio in aegritudine constitutis, propterea Parochus saepe in sacris concionibus, domesticos omnes, affines, et familiares quorumcumque aegrotantium obsecret, ut de infirmitate quamprimum certior evadat. Monitus illico iacentes invisat etsi graviter non decumbant: si enim haec consuetudo obtineat, metum illum excutiet, quo saepe infirmi commoventur dum Parochum ipsos adeuntem intuentur.

Praerepta occasione prudenter infirmos excitet ad Confessionem peragendam: et si gravior ingruat morbus, videat an poenitens indigeat confessione generali, ipsumque paterna cordis effusione adiuvet.

Quod faciendum curent etiam Confessarii caeteri tum saeculares, tum regulares, quibus insuper mandamus, ut audita aegroti Confessione, vel Parochum eadem die verbis commonefaciant, vel testimonium apud infirmum linquant eo exaratum modo quem supra exhibuimus, ut Parochus de confessione certior factus, caeteris Sacramentis, quum viderit expedire eum roborare properet.

XXI. Medicae etiam, et Chirurgicae artis Professores severissimum urget mandatum, et spiritualis poena manet (1) nisi praestituto tempore infirmos de morbi gravitate monitos reddant; tum etiam nisi ab aegri curatione abstineant, quum eo perventum est, ut post triduum etiam monitus confiteri renuat, quemadmodum iureiurando spoponderunt. Animo bene insitum gerant, Ecclesiasticae Constitutioni obsequentes non fore si solos aegrotos in mortali aegritudine adactos de confessione monerent. Nam praeter spirituale periculum, cui infirmi exponuntur,

(1) Innoc. III. in Conc. Lat. 4.° S. Pius V. Const. *Super gregem* 8 Mart. 1566.

gravissimo insuper timore ipsi afficiuntur, dum noverint ex nuncio, morti se pene certissime esse destinatos.

CAPUT XIII.

De Indulgentiis.

I. Amantissima Mater nostra Ecclesia, ac benignissima fragilitatis nostrae adiutrix et curatrix, a vetustis usque temporibus usa potestate sibi a Christo tradita, Indulgentiarum thesauro temporalem poenam, quam etiam deleta iam culpa divina iustitia exigit, nonnunquam minuit, aliquoties plane relaxat.

Indulgentiae tamen non ad fidelium torporem fovendum, sed ad infirmitatem levandam conceduntur. Animarum ideo Rectores fideles doceant, ut dum eas assequi nituntur, orationi simul, ieiuniis, eleemosynis aliisque piis operibus incumbant: ipsos quoque monitos velint ad Indulgentias lucrandas reposci veram ac sinceram male anteactae vitae poenitentiam; et propositum efficax et tenax Divinae Iustitiae pro viribus iri satisfactum, et demum de satisfactoriis operibus in Indulgentiarum Brevibus verba apte habeantur.

II. Ut tuto incedant Parochi, et ne inter tot exortas quoad Indulgentias quaestiones haerere contingat, Encyclicam Benedicti XIV (1), et S. Congregationis decreta attente revolvant, ac in primis Pontificiam Bullam aut Breve, cuius verba tantum norint valere quantum sonant.

Animadvertant etiam cautum esse a S. Congregatione (2) Sacramentalem Confessionem, quando in Brevibus Indulgentiarum apponitur, peragi omnino debere ab iis quoque, qui lethalis peccati conscii non sunt.

(1) *Inter praeteritos* 3 x.bris 1749. (2) 31 Martii 1759.

III. Ut facilior pateret via fidelibus ad Indulgentiarum assecutionem, S. Congregatio tria edidit decreta:

1° In eorum gratiam, qui frequenti Confessione animam student expiare semel saltem in hebdomada, nisi legitime impediantur: isti si nullius lethalis noxae a se post ultimam confessionem commissae stimulo pungantur, omnes Indulgentias consequi valent etiam sine actuali praescripta confessione (1).

2° Statutum est, tum Sacramentalem Confessionem, tum Eucharisticam Communionem ad Indulgentias lucrandas suffragari posse, si in vigilia festivitatis peragantur (2).

3° Quandoquidem ob Confessariorum paucitatem, frequenti exhomologesi Fideles nequeunt expiari, si intra hebdomadam festivitatem praeeuntem illa fuerit peracta, reliquis conditionibus expletis, ac mortali culpa deficiente, ad hoc pariter pollere indulgetur (3).

Hisce tamen indultis nihil innovatum est quoad Indulgentias Iubilaei, aliasque Iubilaei instar concessas, pro quibus et Confessionem, et Communionem statuto tempore capessere est necesse.

IV. Lucrifieri possunt plures Indulgentiae et plenariae eodem die, aut geminis continentibus diebus, ex. gr. altera pro se, pro defunctis altera, una tantum peracta Sacramentali Confessione et Communione, dummodo caeteris praescriptis operibus sit obsecundatum (4).

Quando in Brevibus iniungitur Communio, et alicuius Ecclesiae visitatio, non requiritur, ut Eucharistia in illa suscipiatur Ecclesia. Indulgentia tamen, si transferatur festum, minime transfertur, sed fixa tali die permanet (5). Celebrans in altari privilegiato ea die, in qua Rubricae haud sinunt sacrificia defunctorum offerri, assequi Indulgentiam potest plenariam pro defunctis etsi celebret in festo Sancti alicuius (6).

(1) 9 x.bris 1763 Clemente XIII adprobante. (2) 19 Maii 1759 - 11 Iunii 1822 Pio VII adprobante. (3) 11 Ian. 1822. (4) Ferraris, verb. *Indulgentia*, art. 3, N. 3. (5) Congr. 10 Iun. 1690. (6) S. Congr. 15 7.bris 1714.

Die commemorationis omnium defunctorum, secunda nempe Novembris, pro Indulgentiarum consecutione, Sacrum in quocumque Altari fiat, iis aequiparatur, quae in Altari privilegiato celebrentur (1).

V. Meminerint Parochi Indulgentias pervulgare, de quibus sive in aliis huius Synodi titulis, sive in Dioecesano Ordine, quem Kalendarium vocant, passim monentur. Diplomata Indulgentiarum naviter tuenda in Archivio intendant.

VI. Novas Indulgentias a S. Sede comparatas nemo, etiam Regularis evulgare in Dioecesi Nostra praesumat, nisi Apostolicis litteris Nobis prius exhibitis ac recognitis, eas pronunciandi veniam scripto fuerint adepti.

Summaria pariter Indulgentiarum edere ne liceat, nisi a Nobis collata, et subscripta.

VII. Regulares tandem monitos iubemus, quibus facultas ab Apostolica Sede lata fuit solemniter populo benedicendi Romani Pontificis nomine cum Plenariae Indulgentiae elargitione, ipsis esse vetitum ea uti facultate quo die Nos Pontificiam eiusmodi Benedictionem iuxta Apostolicum Indultum solemniter populo impertiemur.

Caeteris autem diebus Pontificia liberalitate uti poterunt, minime vero absque scientia, et permissione Nostra scripto impetranda, et priusquam per publicas promulgationes populus de Benedictione stata die elargienda certior fiat, vel si edicta huiusmodi praetermittantur, triduo saltem ante ipsam Benedictionem litteris pariter sollicitanda(2).

(1) Clemens XIII 19 Maii 1761.

(2) Id. Const. *Inexaustum* 3 9bris 1762. Const. *Decet* 30 Aug. 1763.

CAPUT XIV.

De Extrema Unctione.

I. Mori commune hominis est, et lata in eum mortis sententia ab eo Iudice cui refragari nemo potest. Sed vitae ac mortis arbiter clementissimus, cum extrema virium defectio supervenit, in ultima corporis et animae luctatione ineffabile nobis adiumentum suppeditavit quasi supremum morientis fidelis spiritum ipse excepturus. Cum ergo ab innumeris etiam integra aetate vexemur infirmitatibus atque angustiis, atque undique ab aerumnis in hoc mortali curriculo circumdemur, a nulla tantopere angimur sollicitudine, quam ab anteactae vitae recordatione, tunc, cum lethalem anhelitum trahentes, extremum diem sumus expleturi.

Deus vero, cuius infinitus est misericordiarum thesaurus, vitae quoque nostrae finem tamquam firmissimo quodam praesidio, atque solamine communivit per Extremae Unctionis Sacramentum, quo aeger roboratus adversus diaboli insidias consistere, morborumque cruciatus facilius ferre valeat; quo peccatorum reliquiae deleantur, simulque caeleste pharmacum, et animae, et corporis saluberrimum, in formidando agone afferatur.

II. Consulant ideo Parochi, ut fideles maximam huiusce Sacramenti vim, utilitatem, immo necessitatem percipiant animo, et Apostolico eius suscipiendi praecepto adhaereant: saepius de hoc Sacramento ad populum sermocinentur, eiusdemque naturam ac multiplices effectus accurate exponant.

III. Ante Extremam Unctionem Poenitentiae Sacramenta, et Eucharistiae ministrentur, nisi inopinus morbus in aegrotum ingruerit, et secus agendum suaserit.

Parochi, vel ab eo delegati Sacerdotes eius conferendi officium soli obtinent; neque ullus alius etiam Regularis id praesumat, nisi forte iis deficientibus, et gravissima instante necessitate.

Vulgi errores evellant, atque suadeant tunc illud esse suscipiendum cum aeger adhuc nitido spiritu atque integris sensibus potitur, ut uberiorem Sacrae Unctionis fructum hauriat, nec differendum cum, desperata omnino salute, vita et sensus evanidi esse coeperint. Si aliter, in gravissimum peccatum offendere Patres Catechismi Concilii Tridentini Auctores pronunciarunt. Nos eorum vestigiis sanctissimis insistentes, si cuiuspiam Pastoris desidia quempiam Sacro Oleo minime firmatum decessisse noverimus, haud hoc sinetur inultum. Eodem durante morbo, non iteretur, nisi sit diuturnus, et aegrotus, qui visus esset convalescere iterum in mortis periculum relabatur. In eius ministratione sollerter serventur, quae in Rit. Romano praescripta leguntur, et partes S. Oleo linendae ob reverentiam a sordibus detergantur.

IV. Sacerdos Sacrum Oleum delaturus observet pariter, quae a Rituali praescribuntur, iis omnino praetermissis, quae a S. Congregatione vetantur per decretum diei 28 Ianuarii 1606, quod extat in nuperrima Decretorum Collectione Romae sub felici recordatione Pii VII edita, quo sancitum: *Extremae Unctionis Oleum solemniter cum superpelliceo et lanternis ad infirmos deferendum non esse.*

V. Si infirmi domus valde ab Ecclesia distet, Oleum Sanctum eodem, quo Sacram Eucharistiam tempore, seorsim tamen, quandoque deferre licebit.

Neque solo laboris minuendi intuitu statim post Communionem aeger inungatur, sed quum grave periculum imminere deprehendatur; nunquam taedeat Pastorem animarum zelo flagrantem, saepius aegrotantes invisere, posthabita caeli inclementia, et itineris difficultate.

VI. Ministrato Extremae Unctionis Sacramento, ne Parochus reputet a se omnia munera esse absoluta; sed curam spiritualem infirmi ad extremum usque vitae exitum prosequatur.

Pastorali sollicitudine, affectuque paterno in illo tribulationis

puncto consolatione eum permulceat, atque sustentet, et verba blanda aeque ac fidem et renunciationem mundo spirantia, per intervalla adhibeat.

Ad peccatorum detestationem excitet, absolutionem, et Indulgentiam in articulo mortis, quam ab Apostolica Sede Nobis concessam Parochis, Proparochis, OEconomis consuescimus subdelegare, impertiatur; preces tandem ab Ecclesia institutas recitando, morienti adsit, et animam fugientem comitetur.

VII. Quoniam interdum non raro contingit, Parochum ad alia haud minus gravia ministerii officia arcessi, monemus propterea, et obtestamur omnes et singulos utriusque Cleri Ministros, ut Pastoribus memorata spiritualia auxilia in agone mortis colluctantibus impertiendo, operam auxiliarem navare ne graventur, et se se libenti animo paratos ostendant, ne in vacuum gratiam Dei recepisse videantur.

VIII. Sacrum infirmorum Oleum, sicut et caetera Chrismatis, et Catechumenorum appellata, veteri combusto, quotannis est renovandum.

A Nobis propterea, sive a Sacerdotibus in Metropolitana iussu Nostro eadem distribuentibus quotannis feria 5ª in *Coena Domini* Olea Sacra Vicarii Foranei accipiant, et per totam feriam sextam Parochis Vicariatus per eos, qui Sacris Ordinibus iam sunt initiati si haberi possint dispertiantur, ut in Sabbato Sancto novis quilibet Oleis uti possit.

Regulares etiam, qui ad suos tantum hoc Sacramento roborandos S. Oleum habent, a Nobis comparent, nec aliunde ut Ecclesiastica lege obstringuntur.

IX. Sicut Sacrum Oleum Spiritus Sancti invocatione sanctificatum est, hinc semper erit asservandum in Ecclesia in armariolo a cornu Evangelii Arae maioris panno violaceo obducto, seris clauso, inscripto foris titulo: *Oleum Infirmorum*. Ibi in vasculo argenteo, quod in ampliori lignea pyxidula serico pariter violacei coloris sacculo conclusa comprehendatur, Oleum

Sanctum gossypio circumducto, custodiatur, quae omnia continue munda habeantur.

Si vero Parochialis domus ab Ecclesia dissita sit, ut ocius infirmis opitulari possit, Parochis veniam indulgemus, ut et aliud Olei infirmorum vas penes se tueantur in nobilioris cubiculi fenestella, vel pluteo ad hoc operis constructo, violaceo panno superinducto, et seris clauso, noctu dumtaxat, et si quid properanter urgeat, atque in solis temporum angustiis adhibendum.

Nulla occasione vel praetextu sancta haec vascula a laicis viris, et a fortiori a mulieribus attrectari sinantur.

CAPUT XV.

De Sacramento Ordinis.

I. Quemadmodum Deus in veteri lege Tribum Leviticam elegit, ut sacra faceret, Religionisque sui populi interpres esset, in nova Christus Redemptor Ordinis Sacramentum instituit, quo aliqui ex hominibus vocati secernuntur ad ea, quae ad Deum pertinent, ut pro peccatis dona, et sacrificia offerant, ut facti Dei adiutores Sacramenta conferant, saluti animarum prospiciant; et qui inter humanam fragilitatem, poenitentiamque labentium, et aeternam misericordiam compositores conciliatoresque se esse evincant.

Hinc late patet quam excelsum verendumque sit Ecclesiasticum Ministerium, quam admirabili potestate et dignitate per ordinis Sacramentum Sacerdos insignitus incedat; et quanta morum integritate, prudentia, et doctrina, quin immo omnigena virtute eos fulgere oporteat, qui per varios Ordinum gradus ad Sacerdotium ascendunt. Quapropter maximi refert, ut ad optimam Ecclesiasticorum educationem animus praesertim accommodetur.

II. Quod ut ex voto accidat, sollerter eos adolescentes perscrutetur Parochus, qui ex Paroecia sua litteris operam navare incipiunt, et quamdam anteferre voluntatem Clericalem habitum induendi intellexerint; investiget cur hanc suscipiendi conditionem aggressi propositum sint; indolem periclitatione multimoda experiatur et mores, necnon ingenii alacritatem atque constantiam. Nobiscum de iis interdum longo contextu loquatur, et quandoque ad Nostrum conspectum eos adducat, ut de ipsorum germana vocatione certiores confirmati, in Clerum ipsos tribuere tempestivo tempore polleamus.

Meminerint idcirco Paroeciarum Rectores, Nos omnino Clericalem habitum recusaturos iis adolescentibus, qui eo anno, quo Ecclesiasticum statum suscipere expetunt, in militari delectu sint conscribendi.

III. Et quia nemo, ex Canonum scitis, Clericali habitu donandus, praeterquamquod de se tantum ab ineunte aetate testimonium praestiterit se religiosam vitam traduxisse, ac alacriter in litteris profecisse; ut bene auguremur minime fiduciam Nostram iri deceptum desideria petentium obsecundando, supplicem libellum Nobis sistat, et Baptismi sui, et Confirmationis susceptae, ac Parochorum, sub quorum vigilantia sit commoratus, necnon Ludimagistrorum, quorum auditor fuerit, certificationem, quamobrem explorate comperiamus Sacramentorum frequentiam, probitatem, pietatem, suumque tum in humanis litteris, tum in rerum Divinarum scientia profectum, ac familiae reique domesticae conditionem.

Rerum spiritualium denique contemplationi per Triduum incumbat. Hisce peractis per Nos, vel per Nostrum Deputatum, iuxta formulam in Synodi appendice exaratam, indumentis Clericalibus ornabitur, dummodo tamen eo ipso anno sit Seminarium, vel Convictum Ecclesiasticum Sancti Andreae, vel aliud a Nobis probatum Collegium ingressurus.

Si ratio in alterutram institutionis domum ingrediendi ei de-

fuerit, veste ecclesiastica non indutum iri sciat, nisi in Philosophiae schola iam versetur.

IV. Nemo Clericali veste abiecta ipsam resumere, Nobis inconsultis audeat, sub poenis arbitrio Nostro infligendis.

V. Impetrata sacrum indumentum gestandi licentia, sollerter ea omnia servet, quae de Clericorum vita et honestate, ac praecipue circa servitium Ecclesiae praescripta leguntur in Litteris Nostris diei 27 Iunii 1852 (1), de quarum observantia quotannis Nobis fidem perhibeant antequam ad classes evehantur, et quoties sacrum aliquem Ordinem sunt adepturi. De hisce omnibus religiose peractis feriarum etiam tempore Parochorum testimonia Nobis initio cuiuslibet anni scholastici praebeant. Animarum Curatores non confusim et acervatim, sed singulos singulis probationes praestare non praetermittent super iis omnibus quae Clericis praescripta sunt, ut uniuscuiusque diligentiam rite dignoscamus.

Si quid praeterea erit, de quo iure Clericus reprehendatur, ad Nos vel voce, vel scripto referant fidenter et arcane, ac vacui ab omni dubitatione sint, Nos ipsorum notitia minus caute, prudenterque esse usuros.

Caveant tamen, ne, posthabito quod apud Deum eos manet, officio, humanis ullis favoribus inservientes, testimonia aliqua perhibeant, quibus Nos in errorem impingere contingat.

VI. Prima tonsura nemo signabitur quin prius ea praestiterit quae in Pontificia Instructione Benedicti XIV praescribuntur (2), atque insuper respectivi Superioris testimonio comprobarit se in literis, ac in pietate fecisse progressum; ac demum nunquam generalia infra annum praescripta studiorum pericula declinasse.

VII. Si quis ob domestica adiuncta extra Dioecesim studiis vacare expetierit, commendatitias a Nobis literas imploret ad loci Episcopum quo est perrecturus, quas hac lege concedemus,

(1) Vid. Append. (2) Incipit *Essendo noto*, Vide Synodi Appendicem.

ut in collegia, si fieri poterit se recipiat, et alicui Ecclesiae ab Ordinario illius Dioecesis designandae serviat, ac quotannis ab Ecclesiae Rectore testimonium consequatur ab Episcopo consignatum de peracto servitio, Sacramentorum frequentia, bonis moribus, nec non pericula de studiis subiisse.

VIII. Cum vero vitae sanctitas aeque ac scientia optimum Ecclesiasticum candidatum honestare debeat, ad minores Ordines minime efferentur qui in scholis Theologia, vel Iure Canonico inferioribus adhuc versantur: Subdiaconus nemo consecrabitur, qui triennium, Diaconus qui quadriennium, Presbyter demum qui quinquennium in Theologiae vel Iuris Canonici studio minime confecerit.

Qui ad aliquem Ordinem assumuntur sive Saeculares, sive Regulares diligenti experimento coram Nobis facto stata die, ostendent se scientia requisita pollere, ut inde ipsorum desideria opportune populo sint denuncianda. Regulares Superiorum suorum scriptum praestent testimonium, ex quo praeter alia de peractis spiritualibus Exercitationibus, tum etiam de necessitate, vel utilitate Ecclesiae Nobis probetur si ab interstitiorum lege dispensari exoptent.

Saeculares in Nostrum Clericorum Seminarium, vel in aliam sacram aedem de Nostra licentia secedant spiritualibus Exercitationibus vacaturi triduum quidem si prima Tonsura, aut Minoribus Ordinibus sunt initiandi, decem vero dies si ad maiorem aliquem Ordinem erunt promovendi (1). Insuper Nos certiores reddant per Curiae Nostrae testimoniales Ordinem proxime antecedentem suscepisse, eius functiones exercuisse, et aetatem a Canonibus requisitam attigisse.

IX. De promovendis denunciationes populo fient semel si ad habitus Clericalis susceptionem, vel ad primam Tonsuram aut Minores Ordines; ter vero si ad Sacros Ordines et quidem inter

(1) Encycl. S. Cong. Episc. et Reg. 9 Octob. 1632 et Clemens XI *Inter gravissimas*, 1 Feb. 1710.

Missarum sollemnia, festisque diebus de praecepto non continuis, nisi aliqua ex caussa ab hac lege specialiter dispensandum iudicaverimus.

X. Parochi identidem fideles suos commonefaciant et doceant, quaenam sint canonica impedimenta ab Ordinibus repellentia; quid sibi denunciationes velint, quae ratio, quo praecepto ipsi devinciantur, quae Clericum minus dignum Sacris Ordinibus constituunt, Episcopo aut ipsimet Parocho candide et secreto aperire. Populum insuper hortentur, ut in quatuor anni temporibus ieiunio hac de caussa instituto preces adiungat, ut superno lumine illustrati optimos et probatissimos Ecclesiae Ministros seligamus, ut ad Ordines promoveantur.

XI. Ne autem divino ministerio nuncupati, cum Ordinis dedecore stipem quaerere, vel sordidum aliquod mercenarium quaestum exercere cogantur, nullus ad Tonsuram iuxta laudatam Institutionem Benedicti XIV admittetur, nisi beneficio vel Capellania perpetua sit provisus, quae deductis omnibus oneribus etiam Missarum, vel taxam Synodalem libellarum 240 Pedem. respective adaequet, vel ad dimidium dictae summae saltem pertingat cum onere tamen aliud quidpiam ex bonis patrimonialibus subrogandi usque ad taxam praefinitam. His vero deficientibus, sive necessitate, sive Ecclesiae utilitate adhortante, Patrimonii Ecclesiastici titulum, vel perpetuae Ecclesiasticae pensionis admittemus, qui deducta colonica portione, nec non sumptibus caeterisque oneribus detractis, libellas 240 aequiparet. Animadvertatur tamen quod hoc patrimonium erit statuendum in bonis stabilibus, fructiferis, annuis, certis et fixis proventibus nullo aere alieno gravatis aut hypotheca subactis.

XII. Priusquam patrimonium instituatur, exhibita Nobis bonorum assignandorum schedula, publicabitur in propria Parochiali Ecclesia, aliaque intra cuius limites bona fortasse sita sint, tribus festis diebus inter Missarum sollemnia, ut omnis dolus averruncetur. Hisce perfectis, gemini testes periti, fide digni,

et minime consanguinei se coram Nobis sistant, qui iureiurando interposito palam pretium, censumque patrimonii fateantur, et testentur adhuc constituenti bona sufficientia superesse pro portione legitima aliis filiis debita; constituens autem et ipse haec omnia, et insuper bona in titulum assignanda nec ulli inscripta vel legali hypotheca obnoxia, nec aere alieno oppressa esse, iureiurando asseret.

XIII. Publicum instrumentum stipulatione firmabitur inde, quo eorumdem bonorum dominium, vel saltem usufructus Ordinando quoad vixerit, vel quoad alium sibi titulum comparaverit, concedatur; et publici ita confecti instrumenti exemplar Curiae Nostrae tradetur, ut in eo descripta bona in Ordinationis titulum admittamus. Tituli adprobatione patrata, cessionem illius, permutationem, vel alienationem etiam ex parte, Nobis ignaris, interdicimus sub gravibus poenis a iure Canonico, et Tridentina Synodo statutis, et promovendus quisque iureiurando spondebit titulum non cessurum, nec alienaturum nisi Nostra expressa licentia, et postquam alium erit consequutus, qui Nostra auctoritate fuerit subrogatus.

XIV. Sub ficti patrimonii specie promoti suspensione ipso iure, et illico ictos se sciant, a qua non antea erint redimendi, nisi vero et reali patrimonio constituto: constituens vero ac testes, qui fraudulenter et captiose se gessissent excommunicatione percellentur. Paciscentes vero super annui redditus patrimonii cessione suspensioni subiicientur.

XV. Denique priusquam Clerici in beneficio vel Capellania perpetua, quibus Missarum onus vel Ecclesiae servitium ex fundatione vel decreto incumbat, canonice instituantur, Sacerdotem ad nos adducant, qui possit formaliter se subiectum obsignare in Curia Nostra ad onerum satisfactionem: neglectis oneribus, poenae ipsum manebunt.

CAPUT XVI.

De Sacramento Matrimonii.

I. Venerabiles esse nuptias, altaeque significationis symbola praeseferre, quisque noverit ex eo quod ad ipsas invitatus ipse Salvator fuerit, ut iis benediceret, easque sanctificaret: quare Augustinus ait, in Christianorum nuptiis plus valere sanctitatem Sacramenti, quam uteri foecunditatem.

Quapropter a Christi fidelibus matrimonium ineundum est puro corde et pia intentione, non autem cum peccato, non cum parentum iniuria, non cum scandalo, neve solo extinguendae libidinis intuitu. Sedulo propterea animarum Moderatores interdum populo de hoc Sacramento verba habeant, praesertim vero Dominica prima Ianuarii et Dominica in albis, summa tamen circumspectione, quia eloquia Domini, quae eloquia casta nuncupantur, summopere decet ne ab ulla etiam quantumvis longinqua vel obscura allusione foeditatis, avertat Deus, inquinentur. De coniugii sanctitate ipsi graviter pertractent, finem et effectus fuse repetant, quot ei obstent impedimenta, quae malorum congeries ex nuptiis exoriantur, quibus libido tantum praefuerit, vel suaserit, vel erga parentes inobservantia prave impulerit, quin demum adfuerint praeparationes ut rite coniugium celebretur. Omnes quanto studio polleat adhortentur, ne ad hoc Sacramentum antea accedant quam et conscientiam Sacramentali Confessione expiarint, et Sacram Eucharistiam prius susceperint. Demum omnes doceant poenas statutas contra ineuntes matrimonium dum aliquo impedimento detinentur.

II. Et quoniam Matrimonio sponsalia praeeunt, horum vim et naturam populo in catechesibus et sacris concionibus Parochi explanent, ut omnes facile mente percipiant, et alte in animo eorum descendat, nonnisi cogitato et ponderato consilio esse

ineunda, non insciis vel inconsultis vel adversis parentibus, aut iis sanguine propinquis qui parentum officio funguntur; neque verbis tantum sponsalia esse ineunda, sed scriptis exaranda ut actionem civilem pariant iuxta novissimam legem. Puellas etiam atque etiam commonefactas iubeant, ut cautim magnopere et vigilanter in re tanti momenti excubent, penitusque sibi prospiciant, ne inanibus promissionibus, vel blandis tricis implicari, et decipi se sinant, ut in vitium praecipites agantur, et famam propriam atque parentum, et quod maioris refert conscientiam irrevocabili iactura pessumdent.

Si contigerit ut in Nostra Curia sponsalium quaestio exagitetur, qui contracta proponet sponsalia, ipsa comprobare debebit vel scripto a contrahentibus aeque obsignato, vel duobus integrae famae testibus qui sponsioni interfuissent, vel saltem certa indicia afferantur, quibus omnis dubitandi ansa eliminetur. Ita difficillimas et diuturnas quaestiones anteoccupamus, quae ex clanculum sancitis promissionibus erumpere solent.

III. Animum intendant Pastores, ne ullius sive cognationis, sive amicitiae specie, vel quia rogati sponsalibus adsint; neque eos, quos sponsalium fide devinctos noverint, una cum testibus in conspectum suum, nisi matrimonii contrahendi tempore venire sinant, ne pro sponsalibus malitiose matrimonium contrahatur. Nuptialia denique convivia minime frequentent (1).

IV. Initis sponsalibus, eorumque nuntio ad Parochum lato, iste ante omnia seorsum sponsorum consensum investiget, ut certior evadat si sponte et libere in futurum matrimonium assentiantur; aliis ne fidem alter ex contrahentibus spoponderit; an voto castitatis sint obstricti; an ullum inter eos impedimentum intercedat; Orationem ne Dominicam, Salutationem Angelicam, Apostolorum Symbolum, Divinae legis, Ecclesiaeque mandata, et praecipua, uno verbo, fidei rudimenta calleant.

(1) Can. 19 Presbyteri Sess. 34.

Si haec ignorare ipsos reperierit, caveat ne matrimonio adsit donec ista omnia didicerint. Demum ipsos hortetur ad exhomologesim etiam generalem conficiendam et ut citius Confessariis se sistant.

Nihil de hisce omnibus sibi praetereundum Parochus arbitretur sub cuius moderamine sponsa versetur, etiamsi sponsus ad alienam Paroeciam attineat.

V. Si de filiis familias quaestio sit, exploratum habeat Parochus an parentes probent: quos si inscios vel invitos, iure ne sit vel iniuria deprehenderit, adhibita etiam amicorum opera studeat, ut suus parentibus honos tribuatur.

Quod si operam perdere animadverterit, ad denunciationes minime progrediatur, donec re ad Nos devoluta quid fieri expediat intelligat.

Hoc statutum iubemus de iis quoque qui inaequalis conditionis mulieribus, aut viceversa nubere vellent, vel qui valida sponsalia cum aliis antea inierint, nolentibus de iure suo recedere.

Quamquam autem obsequium erga parentes debeatur, caveant tamen isti, ne cum liberis saevius se gerant, aut levibus caussis vel avaritia impulsi, praecipue si post toleratam cum puellis familiarem filiorum consuetudinem, ipsorum postea matrimoniis adversentur.

VI. Sponsalium legitime peractorum fides ne ultra annum perseveret, nisi fuerint coram duobus exploratae probitatis testibus renovata.

A sponsalibus ad matrimonium perbreve, quoad fieri potest, sit temporis intervallum, ut facilius crimina antevertantur, quae retardata matrimonii celebratione a sponsis liberius inter se colloquentibus admittuntur; inde infausti saepissime et luctuosi nuptiarum exitus.

Patribus quamobrem et matribus familias praecipimus, et animarum Curatores idcirco sedulo admonitos volumus ne somniculosos se in hoc praestent, ut post contracta sponsalia ad fi-

liorum custodiam diligentius invigilent; ne patiantur sub eodem tecto sponsos habitare, vel se frequentius quam decentia sinit, invisere cuiuscumque praetextus gratia; neque sinant nimia familiaritate invicem agere, vel simul sermocinari, nisi aut ipsorum parentum, vel propinquiorum adhibita praesentia.

Clament propterea e suggestu Parochi, tum ipsimet, tum per Concionatores; neque desinant duriorum aures obtundere, donec peccaminosa haec consuetudo, si est, quam novimus esse, funditus tandem extirpetur.

Si sponsi tanta fuerint usi familiaritate (et moniti monitum detrectaverint), ut inde sit scandalum subsequutum, ad Nos deferantur, ut data poena mulctentur.

VII. Sponsalibus denunciationes succedunt, quae iuxta Tridentinum Concilium (1) dicendae sunt a Parocho tribus diebus festis de praecepto continuis, non tamen aliis alios excipientibus, intra Missarum solemnia. Si ex oblivione, aliave gravi de causa, aliqua in Parochiali Missa exciderit denunciatio, et res urgeat, tunc vel inter Vesperarum officium, vel tempore Instructionis poterit peragi, dummodo frequens sit populi concursus, omnisque fraus absit. A postrema autem denunciatione non ante diem tertiam matrimonium celebrabitur, numerato tamen ipso denunciationis die, nisi aliter a Nobis decernatur; quod si fiat, Parochi dum novissimam habent denunciationem, id palam populo praedicent.

Quod si post ultimam denunciationem, matrimonii celebratio ultra duos menses producatur, unam saltem edicimus iterandam proclamationem; omnes vero si post quatuor mensium intervallum.

VIII. Si aliquod obiiciatur impedimentum, Parochus ultra minime progrediatur, sed rei naturam et adiuncta scripto ad Nos adamussim referat.

Ne autem matrimonia malitiose impediantur aut differantur

(1) Sess. XXIV. de reform. Matr. cap. 1.

praetextu datae ab alterutro sponsorum fidei, curet Parochus quoslibet contendentes componere, et si nihil profecerit, opponentes coram Nobis aut Vicario Nostro Generali sisti iubeat stata die, et nisi octo dierum spatio a die ipsis praefixa litteras citatoriales a Curia obtentas executioni demandaverint, Parochus caetera prosequi poterit, ac si nihil fuisset oppositum.

IX. Si non ad eamdem Sponsi attineant Paroeciam, sed ad Nostram Dioecesim pertinentes, denunciationes in utriusque Paroeciae Ecclesiis recitentur; si in pluribus huiusce Dioecesis locis per sex continentes menses moram protraxerint, in iis omnibus trina praemittatur denunciatio, nec antea Parochus sponsae, qui matrimonio ex antiquissima observata consuetudine iungere debet, nuptiis benedicat, nisi aliorum Parochorum acceperit exarata testimonia e quibus eluceat plane praedicatas fuisse denunciationes, nullumque detectum impedimentum.

X. Quoniam vero iustis gravibusque de caussis penes Episcopum est denunciationes relaxare, ipsas quidem remittemus, quandoquidem nihil legum iniuriam vel fraudem a sponsis commissum fuisse patefiat, et rationi consonae accedant causae, inter quas minime semper recensendus contrahentium pudor, verecundia, festinatio ob longinquam domicilii mutationem, aliena exempla, Adventus vel Quadragesimae tempus impendens, aliaque id genus.

XI. Ut autem caute hisce in rebus procedatur, quoties dispensationem ab omnibus, vel duabus publicationibus matrimonialibus sponsi petent, iubemus ipsos Parochi attestatione esse muniendos, fidem facientis, et eos, aut eorum aliquem, si alias matrimonio fuerint iuncti, viduos esse, et geminos testes qui in Curia Nostra ad hunc finem erint producendi, bonos, et numeris omnibus absolutos esse, et fide dignos, iisque posse facile innotescere an qui a denunciationibus eximi cupiunt, quodam sint vinculo obstricti. Ideoque id populo significent Parochi, nullum admissum iri in Curia testem ab ipsis nequaquam approbatum.

Quod si sponsi ab una vel altera publicatione dispensationem obtinuerint, Parochus de hoc populum certiorem faciat; quod et praestare debebit, quando dum prima fit publicatio, iam sibi sponsi proposuerint pro obtinenda reliquarum publicationum dispensatione ad Nos recursum habere.

XII. Exteri, vagi, ignoti, milites, qui actu stipendia faciunt (*in attività di servizio*), item qui per sex continuos menses post nubilem aetatem a Nostra Dioecesi abfuerint, ii denique alienae Dioecesi obsequentes, ad matrimonia contrahenda ne admittantur, imo ne denuncientur quidem, nisi antea legitimis documentis sui libertatem probaverint, ac matrimonii denunciandi, celebrandive scriptam a Nobis vel a Vicario Nostro Generali retulerint facultatem.

XIII. Viduorum coniugia ne prius e suggestu praedicentur, quam de prioris coniugis obitu certissimum scripto testimonium Parochi, si in alterius Paroecia defunctus fuerit, praebeat.

Quod si prior coniux extra Dioecesim e vita migraverit, huiusmodi testimonium proprii Ordinarii auctoritate firmatum prius a Nobis recognoscendum volumus, et quid inde opus facto sit, Parocho aperiemus. Si quid huiusce generis negotium cum aliqua alia Dioecesi commune contingat, nihil sibi dijudicandum Parochi assumant; moniti, detrectantes graviter prosequemur.

XIV. Adventus et Quadragesimae tempore matrimoniorum celebrationes, nedum solemnes, sed et umbratiles, et privatas fieri in posterum hac Nostra lege interdicimus sine expressa Nostra facultate, quam non dabimus nisi iusta et sufficienti de causa, Parochi attestatione confirmata.

XV. Matrimonio assistet sponsae Parochus per se, nisi gravi de caussa fuerit impeditus, superpelliceo et stola indutus coram duobus testibus aptis et ob id specialiter designatis, horis matutinis, sole iam orto, in Parochiali Ecclesia, eodemque tempore Sacrum pro sponsis offeratur, cui ipsi intererunt sacerdotalem benedictionem consecuturi, extra tamen altaris cancellos, et omnibus adhaereatur, quae a Rit. Rom. praescripta leguntur.

Quapropter neque in ulla alia Ecclesia praeter Parochialem, multo minus intra domesticos parietes audeat Parochus matrimonio adesse, nisi a Nobis habita potestate.

XVI. Nitantur Parochi superstitiones, sicubi fortasse extiterint, a matrimonii celebratione eliminare; si depravata consuetudine, inconditi clamores, armorum strepitus, profanae pompae, aeris campani sonus intempestivus in nuptiarum celebratione irrepserint, haec omnia a fidelibus arceri satagant, omnemque operam impendant, ut tota actio religiose et modeste perficiatur.

XVII. Si qui eo temeritatis et inverecundiae pervenerint, ut proprium Pastorem circumveniant, decipiant, vel minis aggrediantur, ut posthabitis denunciationibus, caeterisque iuxta Ecclesiasticas sanctiones praemittendis, ipsorum matrimonio intersit, vel repente et inopinate se illi sistant coram testibus mutuum consensum per verba de praesenti testantes; tum ipsi, tum conscii testes, consiliatores, suasores, aut quoquo modo facinori faventes excommunicationem ipso facto incurrent; et hac indigna ratione coniuncti illico erunt separandi, donec Ecclesiae et publico pudori et reverentiae congruo modo satisfecerint. Parochi vero, vel alii Sacerdotes nulla vi coacti et sponte assistentes, suspensione a divinis ad triennium ipso facto plectentur.

XVIII. Pro nuptiis celebratis modeste accipiant Parochi emolumentum a fidelium pietate illis porrectum, usuque et consuetudine adprobatum.

XIX. Matrimonio celebrato, Parochus, nulla interiecta cunctatione, in libro quem matrimoniorum appellant, rem totam sedulo describat.(1) Si alio usus fuerit Sacerdote ministro, quod raro eventurum arbitramur, non modo ipsius nomen et cognomen, sed praeterea sua ne an Nostra facultate matrimonium celebrarit in librum referat.

(1) Vid. Instruct. Pontificiam in actis describendis.

Hoc perpetrato, testimonia denunciationum quae ab altero Parocho habuerit, vel epistolas a Nobis traditas, Romanave Curia expeditas in alicuius sponsi gratiam inter caetera ad Parochiale Archivium spectantia scripta diligenter asservabit.

XX. Cautim prospiciant animarum Moderatores, ut qui matrimonio iuncti sunt fidem, quam sibi mutuo spoponderunt inviolatam tueantur. Si compertum habuerint iurgia et dissidia inter coniuges exarsisse, ad componendos, mulcendosque animos totis viribus contendant.

Si vero, quod peius est, absque legitima causa a Nobis recognita et probata a communi cohabitatione alter discesserit, multo maiorem operam, curamque impendent, interposita quoque amicorum diligentia et deprecatione, ne diutius separatio producatur. Contumaces saepius et acriter increpent, qui nisi resipiscant ad Nos deferantur, ut gravissimo et praesenti malo per quantum in Domino sufficiemus, obviam eamus, et remedium adhibeamus. Quandoquidem iustae separationis causae reperiantur, ipsae in Nostro Tribunali tantummodo significentur, ut legitime divortium, iis rite perpensis, pronunciemus. Et hoc ab omnibus Confessariis animadvertatur, ut si viros, vel mulieres audiant, qui invicem sine Nostra facultate a thalamo et cohabitatione secesserint, denegato prius absolutionis beneficio, ad pristinam vitae rationem redeundum eos exagitent; vel saltem ut diligentius coram Nobis se sistant ut de illis constituamus.

XXI. Et quidem aliquando contingere erit, ut sub matrimonii specie detestabilis concubinatus delitescat: perspicaces ideo, immo acerrimis oculis sint oportet Parochi, ut si qui fuerint in propria eorum Paroecia ignotae conditionis pravaeque conscientiae coniuges, de quibus probabilis suspicio oriatur simulatos esse jugales, authenticum matrimonii testimonium statim exposcant: quod si exhibere recusent, vel a se suspicionem propulsare negligant, contubernium hoc Nobis significent, ut scandalo occurramus.

Et id praestare non praetermittent animarum Curatores quoties aliquas ex ovibus vigilantiae suae commissis huiusmodi flagitiosae vitae genus ducere detexerint, aut iuste suspicentur.

XXII. De matrimoniis, quae dicuntur occulta, de iis pariter, quae in Nosocomiis, vel carcere, aliove infirmi de vita periclitantes contrahere possent ut conscientiae mederentur, singulis indicimus nihil plane sibi assumendum absque Nostra auctoritate et consilio: monemus tamen, si in eas angustias aegrotans inciderit, et tempus non suppetat indubia ostendendi status liberi documenta; Nos quidem eorum coniugio assensuros, ita tamen, ut ad valetudinem redditi, antequam coniuges cohabitent, coram Nobis status liberi certam probationem perhibeant.

CAPUT XVII.

De Sacramentalibus et piis Ecclesiae Institutis.

I. Ad Sacramentorum naturam quadantenus accedunt Sacramentalia, sacri scilicet Ecclesiae ritus fidelium mentes ad divina excitantes, et quaedam ad Sacramenta sanctius percipienda dispositiones. Quum autem haec a Catholicis omnibus tamquam germanae pietatis incitamenta semper habita sint a vetustissimis Ecclesiae temporibus, ita ut non sine iactura insignis utilitatis praeteriri fas esse definierit Tridentinum (1); hinc animarum Moderatores ipsorum usum atque utilitatem populo aperiant; sciant ipsis venerationem modis omnibus conciliare; et fideles singulis annis edoceant, quid sint, et quae huiusmodi Sacramentalia, quidque sibi velint; quare institutae

(1) Sess. VII. de Sacramentis Can. 13.

publicae Supplicationes, Vigiliae, quatuor anni Tempora, et sanctissima Quadragesima, nec non Mysteria quae in Maiori hebdomada celebrantur, ea omnia demum, quae per annum ex Ecclesiae antiquo aeque ac venerando instituto invaluerunt.

II. Singulis Dominicis diebus ante Missam Conventualem aut Parochialem in Ecclesia Metropolitana, Collegiatis et Paroeciis, Missam celebraturi, aqua lustrali populum praescripto ritu aspergant: Sabbato item Sancto domos iuxta laudabilem sanctamque consuetudinem Parochus, vel qui eius vice fungatur, visitet, et aqua noviter benedicta irroret, et fideles hortetur ut eam in cubiculis servent: quo temporis adiuncto si forte viderit alicubi incaute patere tabulas obscoene pictas, vel signa alia inhonesta, ut statim amoveantur paterne suadeat, et concitet. Haec porro aquae Sabbato Sancto et Vigilia Pentecostes benedictio etiam sine Olei Sancti infusione fieri nequit in Ecclesiis Baptismali lavacro carentibus ut definivit S. Rit. Congreg. (1). Et mandamus, ut iuxta priscam consuetudinem Parochi Civitatis et Vicarii qui ad id tenentur vel ipsi, vel per alios Sacerdotes adsint superpelliceo et stola induti benedictioni fontis quae in Metropolitana celebratur. Si vero eodem die lustralem aquam benedicere libeat extra divina officia et privatim adhibitis precibus per annum usurpari assuetis, nil admittatur quod a Rubricarum legibus abhorreat.

III. Candelarum in festo Purificationis B. M. V. Palmarum, et Oleae ramorum in Dominica Palmarum benedictio et distributio quotannis fiat.

Vetustissimus ritus ad significandam et suscitandam, promovendamque poenitentiam institutus benedicendi, et fidelium capitibus imponendi cineres initio Quadragesimae naviter asservetur.

Huiusmodi autem benedictio non die praecurrenti, verum mane feriae 4.ae, iuxta Rubricam Missalis erit peragenda.

(1) 3. Iun. 1697 in Ianuens.

IV. Obsecundetur pariter devotae invitandi consuetudini per campanae sonitum quotidie populum ad salutationem Deiparae Virginis mane, meridie, et vespere, et circa primam noctis horam ad preces pro defunctorum animabus persolvendas; et qualibet feria sexta ad recolendam Christi Domini Passionem; et denique saepissime et praesertim in Quadragesima ad pium opus (quod in singulis paroeciis erigendum optamus) Viae Crucis nuncupatum.

V. Moneantur puerperae, ut simul atque domo pedem a partu efferent, Ecclesiam Parochialem adeant, grates Deo redditurae et benedictionem accepturae.

Nemini autem fas sit, sive e Saeculari, sive e Regulari Clero sub poenis a Nobis statuendis benedicere puerperis sine Parochi licentia, quemadmodum vetitum novimus a S. Congregatione Concilii (1): cavebit tamen Parochus ne ob benedictionem se domum puerperae conferat, etiamsi illa valetudine adversa laboraret.

VI. Exorcistae officium nemo exerceat absque Nostra in scriptis habita facultate.

Si super agros, vel super animalia, vel ad repellendos nimbos vel ob aliam huiusmodi causam facienda sit benedictio, a Romano Rituali hauriatur, vel aliunde, dummodo legitime fuerit approbata.

Prospiciant verumtamen animarum Curatores, ne huiusmodi benedictionum nomine, pudendum aliquod mercimonium in ministerii sacri dedecus aliquis exerceat; severe enim in hoc a Nobis animadvertetur.

VII. Interdum erudiatur populus, impendentes procellas sincera utique animi religione, et precibus, non campanarum assiduo strepitu propulsari: aere enim hac ratione rarefacto fulmina ipsa facilius illuc trahuntur et pergrave periculum Ecclesiis praecipue afferunt.

(1) 31 Mart. 1739.

VIII. Ecclesiastici ieiunii praeceptum vespere praecedenti in unaquavis Paroecia sonitu aeris sacri indicetur. Feria 5.ª in Coena Domini post ultimum campanae signum in Metropolitana vel in Maiori Ecclesia per Dioecesim, vel ante eiusdem pulsationem in Sabbato Sancto, nemini etiam in Ecclesia Regularium liceat campanas percutere, sub sancitis poenis in Bulla Leonis X (1).

IX. Processionibus communi Ecclesiae aut Dioecesis more constitutis, aliisque ex publica causa indicendis, ii omnes, qui iure, vel consuetudine interesse debent, devoti se sistant.

Nocturno tempore nulla, quam Ecclesia, et civilis potestas interdicit, fiat processio.

Novas processiones, usuque minime receptas, Nobis inconsultis, nemo instituere audeat, neque extra Paroeciae limites ullas dirigere.

X. In Supplicationibus penitus arceatur quidquid profanum sapit, et praesertim a pueris, et puellis personam B. M. V. vel Angelorum, vel Sancti cuiusdam personam aut Reparationis nostrae Mysteria repraesentari vetamus: permittentes et conniventes, interdicta processione, graviter arguentur.

XI. Litanias maiores et minores cum populo hora commodiori et diebus, quoad factu facilius, ab Ecclesia praescriptis pie perficiant Parochi, ut fructus terrae dare et conservare dignetur Dominus.

In hisce autem Supplicationibus, aliisque etiam occasione funerum, eum viarum ambitum Parochi prosequantur, qui in Paroeciis ex veteri consuetudine obtinuit, nisi iusta et prudens ratio aliter suadeat; et tunc solius Parochi erit vicos et loca, re optime considerata et discussa, Nobis etiam si oportuerit consultis, designare per quae iter sit ineundum, et qua Supplicatio procedat, et revertatur.

(1) 19 Decemb. 1516.

CAPUT XVIII.

De vita et honestate Clericorum.

I. Electi se divino ministerio devoventes nil nisi grave, verecundum, ac Religioni consonum praeseferre debent habitu, gestu, incessu, sermone.

Cum enim a rebus saeculi disiuncti, atque altius sublati facilius conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui omnes oculos coniiciunt, et inde sumunt quid imitentur.

Hinc est, quod Ecclesia Dei semper fuit sollicita et Apostolicis Constitutionibus et Conciliorum decretis, ut ministri sui induant iustitiam et luceant coram hominibus, qui ipsorum bona opera intuentes, rerum omnium Creatorem glorificent. Nos igitur, qui huius Ecclesiae gubernaculo sedemus, ad Cleri disciplinam vel instaurandam, vel tuendam vel augendam Praedecessorum statuta refricare atque ob oculos referre constituimus.

II. Et primo: cum ab ignorantia multi et gravissimi scateant errores, nemo absurde arbitretur libris et studio, post adeptam Sacerdotalem dignitatem, esse valedicendum, quasi nullum ab iis sit experimentum scientiae iterandum. Nihil hac opinione ineptius, nil insanius qua se aculeo veluti extimulatos non officio, litteris animum adiunxisse ostendere videntur.

Lux mundi, sal terrae Sacerdotes, duces populi, pastores ovium Domini, moderatores animarum nuncupantur et sunt reapse; doctrina igitur magnifice, eximie refulgere debent.

Nulla ab eis dies est praetereunda quin in optimae notae librorum lectione, quod ab ecclesiasticis fungendis muneribus temporis spatium supererit, impendant. Habeant delecta volumina et viro altaribus assignato necessaria: in primis sacram Scripturam, Concilium Tridentinum, Catechismum Romanum, Synodales Constitutiones ac probatissimos aliquot sanioris Ethices commentarios.

Et quoniam hisce nuperrimis aetatibus Fidei nostrae aversantium vecors multitudo mirum in modum percrebuit, qui argumentorum fallaci vi, aeque ac ventoso scribendi genere infamem sibi rumorem sunt assequuti, polemicorum propterea Scriptorum studio totis viribus incumbant, atque perpolitam dicendi atque scribendi rationem quoque ne sibi comparare negligant, ut possint integra et salubri doctrina, eos qui contradicunt mendacii, atque erroris redarguere atque elegantiori oratione lucis veritatem ostendere.

Minime advertendum putamus praeclare atque in primis ab optimo Sacerdote spectatum iri pios illos codices qui orationem, ac meditationem edocent, ut utrique quotidie etiam atque etiam consistat.

Qui in urbe commorantur moralibus Casuum conscientiae institutionibus per totum anni scholastici curriculum traditis intersint, si probe atque utiliter expetunt Ecclesiae famulari. Qui extra urbem degunt cum Parocho aliisque Clericis ad eumdem finem contendentibus res conferant et congregationem Casuum conscientiae, cum apud Parochum se habebitur, nunquam effugiant.

Quum Tridentini oraculo et sapientissimi Benedicti XIV constitutione (*Cum illud semper* 14 xbris 1742) sancitum sit, ut qui Paroeciis regendis praeficiendi sunt, ne dum doctrina et moribus, sed prudentia praefulgeant, hinc declaramus a Nobis in collatione Paroeciarum potissimum rationem habendam esse illorum qui Parochis vicariam operam praestant; cum censendum sit ipsos prae caeteris iis dotibus praefulgere quae ad parochiale munus requiruntur.

III. Studio singularis pietas est coniungenda. Sacramenta quo maiori sunt in ordine constituti eo frequentius percipiant. Diaconi et Subdiaconi saltem bis, caeteri autem Clerici semel saltem in mense ad Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta accedant. Parochialibus Ecclesiis, quas sine assensu Nostro deserere non licebit, omnes, etiam Sacerdotes diebus festis de prae-

cepto sedulo inserviant, caeterisque publicis functionibus praesertim in forensibus parochialibus Ecclesiis, itemque processionibus, nec unquam operam suam desiderari patiantur in animarum salute procuranda, in catechesibus et Sacramentorum administratione(1). Haec omnia munia cum pietate, decore et maiestate obeant, Parochumque ipsum debitis benevolentiae et honoris significationibus prosequantur.

Sacros ritus, rubricas, et cantum Gregorianum probe calleant; Clericique omnes eorum scholas sive in Seminario sive in Collegio S. Andreae haberi consuetas summa cum diligentia frequentent.

Illi autem qui non iubentur ministrare in Chorum conveniant, neque otio indulgeant. Nefas enim esse sciant in sacristiis Missarum et aliarum functionum tempore confabulari. Horarum Canonicarum recitationem Sacro Ordine initiati, aut Beneficium Ecclesiasticum possidentes ea qua par est devotione persolvant.

Ut autem rem tam necessariam accurate perficiant, Calendarium quod singulis annis iussu Nostro pervulgatur, ineunte mense Ianuario sibi comparent. Inobsequentes poena duorum iuliorum piis usibus applicandorum plectentur.

IV. Singulis annis Clerici omnes statis diebus in Calendario praescriptis se Nobis sistant, rationem suorum studiorum iuxta morem reddituri, testimonia Parochorum afferentes, ut iam diximus, se bonis moribus ornatos, et iniunctis muneribus sedulo satisfecisse.

Quicumque huic examini designatis diebus instituendo se offerre recusaverit ne sibi polliceatur concedendum fore ut privatim sequentibus diebus scientiae periculum integretur; sed graviter in eum animadvertemus, nisi iustis de causis comprobatum reddat se die stato sistere nequivisse; et si alicui experimentum illud extra ordinem concedendum arbitraremur, multo severius erit illi iudicium subeundum.

(1) Conc. Trid. Sess. 22. de reform. c. 1. 16.

V. Nihil est quod ecclesiastici viri dignitatem dehonestare, maioremque probri labem illi inurere valeat, quam vitium illud quod nec nominandum praecipit Apostolus. Neminem ergo praetereat, corpus suum possidere in sanctificatione et honore.

Caveant maximopere nedum ab ipsis criminibus quae notam infamiae imprimunt, sed etiam vel a minima mali specie, ut is qui ex adverso est nihil habeat de nobis malum dicere.

Quamobrem mulierum familiares consuetudines et colloquia etiam sub pietatis imagine effugiant; eas urbanitatis specie ne in rheda comitentur, non porrecto brachio deambulantes fulciant, etsi fortuito, et sanguinis necessitudine coniunctas, praesertim si florenti et integra aetate adhuc fuerint. Si cui ancilla sit conducenda ea ingenuis et intaminatis sit moribus, et de praeclara fama optime audiens, et quadragesimum aetatis annum attingat.

Cum caeteris vero mulieribus ne cohabitent nisi secundo saltem consanguinitatis vel affinitatis gradu ad illos attineant ut omnis tollatur vel levissimae culpae suspicio. Si quando gravi de causa ab hac regula deflectendum duxerimus, res et causae ad Nos deferantur, ut omnibus intento animo perpensis, quod prudentia iusserit statuatur. Nullam insuper mulieres vel puellas canendi, scribendi aliamve id genus artem edocere praesumant, nisi antea a Nobis facultatem habuerint.

VI. Choreas quascumque sive publicas sive privatas, quae vere sunt peccatorum seminaria, ut ait S. Carolus, quolibet loco et tempore habeantur, non agant, neque spectent Ecclesiastici.

Nemo earum occasione et ad illas fovendas instrumenta ulla musicalia pulset. Nemo saltationes exercere sinat in Ecclesiasticis aedibus, aut pro beneficiarii domicilio constitutis: qui contra fecerit, multam aureorum quinque, ut in pios usus convertantur, illico luat: eamdem poenam ab eo repetemus qui personatus incesserit: irritis huiuscemodi animadversionibus, ad alias quae satis superque videantur, progrediemur.

VII. Ad profana spectacula Clericos convenire minime decet. Interdictum iam pridem et toties ab Ecclesia praenuntiatum renovamus, ne theatris, fabulis scenicis, publicis comoediis, aliisque profanis spectaculis per mimos, histriones, schoenobates, ac mercenarios peractis intersint; caeterum severis poenis inobsequentes persequemur, donec canonum sanctiones suo robore potiantur.

Idem statuimus de iis qui nocturnis horis vagare fortasse auderent, vel instrumenta musica percutientes, vel cantilenas occentando, quod sannionem et scurram plane foetet.

Post primam noctis horam nisi ob iustam causam non est domo exeundum, et tunc quoque summa modestia incedant, et clericali habitu induti, neminique causam vel suspicionis vel offensionis ullo modo praebeant.

VIII. Tumultuaria colloquia, et clamosa convivia omni studio devitare nitantur, a conversationibus et compotationibus in tabernis praecipue, apothecis, aliisque huiuscemodi locis summa diligentia abhorreant; ad cauponas diversari non audeant, nisi necessitate compulsi et itineris ratione, et tunc aliis mensae accumbentibus, ac spectantibus aut adstantibus temperantiae exempla praestent.

Si quis vero, dignitatis suae oblitus, cauponas comedendi, potitandi aut ludendi ergo fuerit ingressus, binos aureos in pium opus erogandos mulctatus persolvet, aliisque gravioribus poenis plectetur si pervicacia persistet.

IX. Per fora item otiosi ne vagentur, imo loca publica fugiant in quibus laici ad sorbillationes, otiosos congressus, ad vaniloquia convenire assuescunt. Nam etsi potiones ibi quadam necessitate suadente sumi permittatur; officinas tamen illas frequentius adire productis saepe ad horas confabulationibus, res est Clerico indigna. Insuper nefas esse meminerint ne dum in loco publico aleis, taxillis, aliisque per canones vetitis ludricis indulgere, sed nec eiusmodi ire spectatum: neque etiam liceat in publico loco globis ligneis, pila aut folle ludere, quod a Clericorum gravitate prorsus absonum est.

X. Atque de ludis agentes serio animadvertant Ecclesiastici omnes in ludis animi recreationem et levamen, non lucrum quaeri debere; ac propterea ingentem summam speciatim in aleatoriis ludis a sacris Canonibus et Civilibus Legibus vetitis impendere rem esse turpissimam. Ab eo igitur ludorum genere a Regia etiam potestate improbato, quod non probabilis, et innocens industria sed fortuna regit, sive per se, sive per alium aut inita societate etiam intra domesticos parietes omnino abstineant Ecclesiastici; secus Sacerdos in poenam suspensionis ipso facto incidet, et duorum aureorum multa inuretur, locis piis applicanda: in sacris Ordinibus constituto, exercitium Ordinis interdicimus, et spes promotionis ad superiores Ordines intercludetur: aliis autem inferioribus Clericis clericalis habitus erit illico deponendus. Iisdem poenis obnoxium eum censemus qui eidem ludo spectator adfuerit, si semel monitus iterum in aleatorium locum offendet.

Serio igitur animadvertant, Ecclesiastico viro haec abiecta solatia plane esse indigna, et si iudicium Nostrum fortasse quis effugere potuerit, culpam tamen coram aeterno Quaesitore et certe gravissimam nullomodo declinabit.

XI. Quamquam autem Clericorum vita orationes et lacrymae esse debent, ut monet S. Carolus, ad honeste tamen animum relaxandum, quoad Nos indulgemus quidem, ut non neglectis prius propriis muneribus, laqueis, retibus, et ballista ignea aves venari possint Ecclesiastici, modo caute nihilque contra officium, et dignitatem agatur; habita quoque loci et temporis ratione, et dummodo iussis civilis potestatis quae ad hoc spectant scrupulose obtemperetur.

XII. Nepotiano Hieronymus suasit ut negotiatores Clericos tamquam pestem vitaret. Omnes itaque qui Altari serviunt et in sortem Domini sunt vocati, turpe noverint et nefas ullam mercaturam exercere, quae semper fuit a Summis Pontificibus improbata.

Aliena praedia, etiamsi Ecclesiae, non conducant sive per se, sive per interpositam personam, neque socii conductorum sint; ab omni mercimonii genere sub poenis sive a iure statutis, sive Nobis arbitrariis abstineant.

Emporia, fora venalia, nundinas negotiorum causa non adeant, neve ullis saecularibus commerciis se admisceant.

Alienorum bonorum, aut litium procurationem non gerant, nec rem familiarem nec aliud officium Clericali ordine minus dignum in laicorum domibus exerceant.

Pupillorum tutelam, minorumque curam non suscipiant nisi ex charitate, et implorata prius scripta a Nobis facultate.

Summa tandem diligentia caveant Ecclesiae Ministri a turpibus quibuscumque artibus, vilibusque et inhonestis ministeriis tam extra, quam intra proprios parietes exercendis, ne contemptibiles reddantur.

XIII. Haud facile fide iubeant Ecclesiastici, nec coram Iudice laico testimonium dicant absque Episcopi licentia. Vocati ad testimonium ferendum coram laico Iudice, habita prius facultate a Nobis, illuc se sistant, iurent tacto pectore, Sacerdotum more, deinde sedulo instent, ut habita Nostra facultas iudicialibus actis inseratur.

Si autem de criminibus agatur, praecipue ad *offensam*, decernimus ut non modo Episcopi licentia actis inscribatur, sed protestatio praeterea in eodem actu facienda ad formam Cap. *Praelatis de homicidio in* 6°, ut ab irregularitate valeant indemnes se tueri. Confidimus porro, hac de re a Iudicum religione nihil personarum dignitati vel obsequio iri detractum.

XIV. Cum saeculares vestes et capitis comam pro Christo deposuerint Clerici, ut exteriori quoque corporis cultu aliis bonum exemplum praebeant; hinc clericalem habitum et conspicuam tonsuram Ordini suo congruentem ubique et semper ferant. Pileus non sit orbiculatus, sed triangularis atque ad illius formam, quo graves Ecclesiastici utuntur, compositus.

Clericalis vestis nigri sit coloris; vestium autem nomine omnia intelligimus indumenta, quibus instructo in publicum est prodeundum.

Omnes quotiescumque sacram functionem obibunt, et diebus saltem festis habitum talarem induant; caeteris temporibus, etsi possit habita ratione loci et temporis, brevior gestari, infra genua semper protendatur, et laicorum formas ne imitetur, sed clericalem modestiam et simplicitatem praetendat.

Super breviorem huiuscemodi vestem superpelliceo non utantur ob viarum asperitatem aut caeli inclementiam, ne occasione quidem funerum, multoque minus ad S. Viaticum deferendum.

Decens etiam collare ad normam in hac Dioecesi receptam omnes omnino praeseferant, nusquam vero eius loco sericum sudariolum ad collum gestantes, minusque clericali habitu destituti, vel cubiculari ullo indumento quasi personati in publicum se dare conspectum audeant. Qui erubuerit Clericis accenseri per externa indumenta etiam itineris causa, duorum aureorum poena mulctabitur, et alias etiam dabit arbitrio Nostro statuendas. Comam neque incultam habeant, neque studiose cirratam vel calamistro inustam, unguentisque madidam in laicorum modum effingant; iusta mensura detonsam modestia et munditiės exornent. Singuli habeant superpelliceum, et clericale biretum, ut ecclesiasticum ministerium opportunis temporibus valeant exercere.

XV. Nemini ex Sacerdotibus et Clericis vigilantiae Nostrae traditis libeat ab hac Dioecesi discedere nisi a Nobis venia per literas impetrata et singulis annis renovanda.

XVI. Ecclesiastici demum omnes mansuetudinis et humilitatis erga omnes exempla promant: a iurgiis, contumeliis, obscoenisque verbis abhorreant: mutuis se officiis prosequantur et adiuvent.

Curent testimonium habere bonum ab omnibus, ne vituperetur ministerium nostrum.

Quod ut facilius comparetur, Sacerdotes omnes hortamur et

obsecramus ut crebro, et saltem singulo quoquo triennio, potissimum vero si Confessarii sint, ad Spiritualia Exercitia vel in Seminario Nostro, vel in Collegio S. Andreae huius Civitatis, vel in alia religiosa domo conveniant; quod praestare prorsus non omittent iuvenes Presbyteri statim post completum annum a suae Ordinationis die. Ad quod sanctissimum munus ut Sacerdotes alliceret Summus Pontifex Clemens XI ne dum Indulgentias elargitus est, sed et a residendi lege, et chori servitio liberavit qui hoc onere gravantur, ita ut fructus, dum Exercitiis dant operam, faciant suos ac si per se ipsos residerent.

XVII. Ex hactenus sancitis habent Ecclesiastici quae sequantur et quae devitent, habent ut sciant quomodo oporteat eos in domo Domini habitare.

Illud porro advertendum iubemus, Maiorum saluberrimas, sapientissimasque leges quae ad Cleri mores integros tuendos latae antiquitus fuerunt, minime esse exauctoratas, sed in suo etiam nunc robore permanere; nihil ideo praetermittemus quod praecipue muneris Nostri est, ut Ecclesiastica disciplina tot Praedecessorum Nostrorum vigiliis et laboribus enutrita, temporum fortasse vicissitudinibus aliquantisper relaxata, semper vividior reflorescat, et custodiatur, cum ex ea maxime pendeat aeterna populorum salus, exempli validitas, sobolis educatio, Christianae fidei incrementum.

Cuiusque ergo Parochi aut Vicarii Foranei partes etiam erunt, prout singillatim ipsis praecipimus, ut in sua quisque Paroecia et Vicaria Decreta Nostra ad Sacrorum Canonum normam ab omnibus servari curent, refractarios Nobis pro sua conscientia denunciando.

Sciant autem omnes cuiuscumque gradus sint Clerici et Sacerdotes, si parvi (quod certe haud fiet) aestimantes haec Synodalia praecepta ab expositis improbandis rebus non erint deterriti, debitas pro reatu poenas esse daturos; ratio enim et durissimum de omnibus est reddendum iudicium aeterno Sacerdoti Christo Domino.

CAPUT XIX.

De Capitulo Ecclesiae Metropolitanae, et Collegiatis.

I. Qui caeteros honore et dignitate anteeunt, morum quoque integritate et sanctimonia est anteeundum. Idcirco quae de vita et honestate Clericorum superiore capite ediximus, promptiori et alacriori animo a Canonicis fideliter et constanter tenenda confidimus.

Et hoc Nobis abunde pollicemur ab amplissimis illis viris, quibus constat nobilissimus et honoratissimus Patrum coetus, quem nomine dignitati opportuno Tridentina Synodus Senatum appellat, dilectissimorum nimirum fratrum Metropolitanae Basilicae Canonicorum.

Quum enim venerandus iste coetus in eum finem sit institutus, ut ad Episcopum propius accedens, consilio suo et opera in gravioribus tractandis Ecclesiae negotiis ipsi opituletur, palam elucescit, ab omni ne dicamus vitiorum labe, sed umbra abhorrentem esse debere, morumque integritate, doctrina, prudentia, caeterisque virtutibus praestare eum, a quo aliarum Ecclesiarum Canonici Clericique omnes perfectam vivendi rationem haurire tuto valeant.

II. Atque in primis ut Canonicorum officiis assidue, composite atque diligenter vacare singuli possint, ne debitis servitiis fraudetur Ecclesia, necessum omnino est ut leges Capitulis omnibus datae et peculiares Capituli, in quo sunt cooptati, communi studio observentur, et ubi hae adhuc desiderari possint, quamprimum conficiantur, et Nostra approbatio expetatur.

III. Eorum animis perpetuo observaturum confidimus onus, quod iuxta Benedicti IV constitutionem (1) Capitulis et Colle-

(1) *Cum semper* 19 Augusti 1744.

giatis incumbit, quotidie ne dum canendi, sed applicandi Missam, quam conventualem vocat, pro benefactoribus in genere, sine ullo emolumento, prout sacris Canonibus cautum est.

IV. A Canonicis omnibus enixe poscimus, ut privatim Missae sacrificium ad aliorum etiam Sacerdotum exemplum, festis praecipue diebus, non coacervatim, et eodem fere horae puncto peragant, nec unquam patiantur Ecclesias hac de re multis horis vacare, aut ipsorum praesentiam in Sacramento Poenitentiae administrando desiderari.

V. Iis horis quas affixa in Sacrario tabella a Nobis approbanda indicabit, debita officia persoluturi conveniant. Persuasum habeant ex Tridentina Synodo (1) teneri in Choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei laudem concelebrare reverenter atque distincte non perturbate, non oscitanter, non versus celeritate nimia percurrendo, sed voce concordi et morula interiecta, ubi asteriscus versiculum partitur: ac propterea muneri proprio defuturos, si qui vel aliis psallentibus canere supersedeant, vel officium submissa voce obmurmurent, quod pluries a sancta Congregatione fuit improbatum. Non rideant, vel confabulentur; non nugis somnoque indulgeant, nec sedeant stantibus aliis, vel stent, aliis genuflectentibus; item e choro in sacrarium otii causa non se subducant, nec propriis choralibus insignibus ornati vanos a Choro atque a Templo abeundi praetextus quaeritent. Haec retulisse, condemnasse est, et fugienda meminisse.

VI. Ut vehementiori pietatis studio, ad divinum cultum flagrent Canonici, spiritualia cogantur singulis hebdomadis comitia, et ibi non perfunctorie et ut cuidam consuetudini inserviatur, sed diligenter tractent quae circa Chori disciplinam et formam in Ecclesiae servitio tuendam versentur, ea tamen charitate, prudentia, et comitate, ut nemini ab alio succenseri contingat.

(1) Sess. 24 cap. 12.

VII. In illis Capitulorum comitiis quum de temporariis negotiis agitur, Ecclesiae decus atque utilitas in primis quaeratur. Quoad graviora negotia, quod in uno congressu proponitur, in altero si res non urgeat deliberetur, ut maturior haberi possit consultatio: sententiam suam quisque modeste et breviter expromat, servata unitate spiritus in vinculo pacis: quoties de re proposita quaestio insurgat, atque alii ab aliis in contrarias partes scissi dissenserint, negotio rite et perspicue proposito, adhibeantur statim secreta suffragia ad omnem controversiam dirimendam, idque sit ratum quod maiori suffragiorum numero fuerit comprobatum.

Interim ne admonendum quidem arbitramur, quae in hisce Capitularibus conventibus dicta et disputata sunt, ne foras prodantur sapientissime est cavendum, ut Capituli et Canonicorum reverentia nihil detrimenti patiatur. Acta vero in certum codicem a Cancellario referantur in Archivio asservandum.

VIII. Si in Capitulo de re ad quempiam ex Canonicis aut ipsius consanguineis in primo et secundo gradu aliquo modo spectante erit agendum, quando ad votationes erit procedendum is a Capitulari conventu recedat, ne eius praesentia plena deliberandi libertas imminuatur.

IX. Quum de conferendo Canonicatu vacante agendum erit, invocato Spiritus Sancti lumine, novi Canonici electio instituatur, omni privata affectione deposita; illudque menti recurset, eius qui ante Canonici obitum suffragia per se vel per alium fuerit aucupatus, et beneficium ambitiosis precibus petierit, nullam ipso facto fore electionem, ut in postrema Synodo cautum fuit, et hoc Nostro decreto confirmatur.

X. Et quoniam res, iura, et antiqua documenta Ecclesiarum pessundari interdum contingit eo quod minus caute custodita, incuria pereunt, vel substrahuntur; ideo si quae Capitula scripturarum in proprio archivio existentium inventarium nondum confecerint, praecipimus ut intra semestre a Synodalium acto-

rum publicatione perficiant, ipsumque diligenter in Archivio Capitulari custodiant. Archivia Capitulorum nemini pateant, nisi coram deputatis ad eorum custodiam, neque ulli etiam ex officialibus liceat scripturam aliquam ab iis extrahere, alioque exportare, sine Capituli facultate, qua accedente, in libro ad hoc servato describetur scriptura, quae fuerit excerpta; eorum autem qui Archivio praesunt erit curare, ut quantocius fieri possit, restituatur.

XI. Fraterne omnes se diligant, alter alterius curam gerat, praesertim cum quis ex adversa valetudine laboraverit.

Metropolitanae Nostrae Canonici postquam sacra confessione fuerit infirmus expiatus, in processionis modum Canonicali habitu induti a Basilica Metropolitana Eucharistiam exportantes, eumdem Viatico muniant, quacumque in Paroecia sita sit Canonici aegrotantis domus, fratrisque animam sibi commendatam piis spiritualibus officiis ne destituant. Verum cum de his, deque officiis defuncto Canonico praestandis in libello statutorum Capituli plenius dicatur, nihil dubii quin omnimodo observentur. Defuncto autem alicuius Ecclesiae Canonico, pro eo a Capitulo, die sequenti non impedito aut altero proximo, ritu solemni unum Nocturnum et Missa concinantur praesente cadavere et Canonici singuli ante lapsum mensem pro defuncti anima Missam unam privatim celebrent: idem pariter pium religionis officium praestare rogantur cum Archiepiscopus obierit.

Die proxima post omnium Fidelium defunctorum commemorationem, Officium et Missae Sacrum pro defunctis Episcopis Vercellensibus, die vero mox sequenti pro defunctis Canonicis sollemniter peragant.

Reliqua quae Canonicis sanctionibus vel propriis statutis providentur, confirmamus, rata habemus et omnia observari mandamus.

CAPUT XX.

De Vicariis Foraneis, et Congregationibus Menstrualibus.

I. Ecclesiasticos viros prudentia et doctrina praestantes per Dioecesim assumere semper consueverunt Episcopi, quorum opera in totius populi regimine uterentur, qui circumiectis Paroeciis praeessent, qui diligenter inspicerent, an omnia iuxta ecclesiasticam disciplinam gubernentur, qui uno verbo Episcopi vices, cum ipse ubique praesens esse non possit, gererent moderando, corripiendo, instando.

Nos itaque qui eosdem viros ad istud grave et sanctissimum institutum adhibere volumus, quemadmodum ab universo Clero uniuscuiusque Vicariatus Vicariis huiuscemodi debitum honorem ac reverentiam exhiberi decernimus, ita ipsos vehementer obsecramus, ut in officio suo sint diligentissimi, Nobiscum Dei honori, Ecclesiae dignitati, animarumque saluti consulant, et si quid per se expedire nequeant, Nostram auctoritatem saltem monendo implorent. Aliquoties enim dissimulare videmur quidpiam rectae disciplinae contrarium, et dissimulamus quia ignoramus, cum vix ullus sit, qui ad Nos deferat, nisi postquam magnum excitatum est incendium. Nec timeant ab aliquibus reprobari, si Nos admonuerint: nam iis quae secreto renunciata Nobis fuerint, prudenter utemur, ut nulla propterea ipsi invidia sint flagraturi.

II. Huiusmodi autem Vicarii munus non perpetuum, aut ulli Paroeciae vel Praebendae adnexum censeatur, sed ita a voluntate Nostra et Successorum Nostrorum pendere, ut quoties visum fuerit, per Nos adimi, et alio, et ad alium transferri possit.

III. Ne Vicarii Foranei muneri suo impares sint, eorum erit solerter explorare an Parochi Vicariatus resideant, an fidelium curam habeant, an gregem verbo et exemplo pascant, an pue-

ros in Christiana Doctrina erudiant, an Sacramenta suis modo et tempore ministrent, an infirmos visitent, an pacem cum populo servent, an Casuum conscientiae collationibus intersint, an libros parochiales iuxta praescriptum exarent atque custodiant, et an Synodales constitutiones observent; an Ecclesiarum iura et bona tueantur, an tam ipsi quam reliqui de Clero vitam agant Ecclesiasticae disciplinae legibus conformem. In iis oppidis in quibus Collegiatae extant Ecclesiae, curent ut Choralis ordo servetur, ac Divina officia iuxta Canonum, et Rubricarum sanctiones, distincte, devote et statis temporibus celebrentur, atque ea omnia executioni mandentur, quae a Dioecesana Synodo vel a Nobis decreta sunt.

In his omnibus si quidpiam negligenter delinqui deprehenderint, emendare studeant, moneant, et corrigant, et si corruptelis occurrere ipsi non possint; monitos statim Nos faciant, ut remedium afferre valeamus.

IV. Potestatem facimus Vicariis Foraneis absolvendi intra Vicariatus sui limites a peccatis omnibus Nobis reservatis prout iacent in tabella, et iuxta declarationem typis impressam anno 1826. Ipsis facultas esto indicendi collectas ad pluviam, ad serenitatem, et pro quacumque necessitate, quod etiam Parochis ad annum in Congregatione concedere poterunt: in civitatibus et oppidis ubi sunt constituti, etsi aliae extant Paroeciae, ipsis tantum fas erit in casibus a iure permissis, servatisque servandis, facultatem concedere extrahendi a Sacris locis reos, qui asilum in istis quaerunt; item publice servilia opera festis diebus gravi iustaque urgente causa peragendi: circa hanc facultatem autem cum caeteris regionis Parochis amice conferant, et cautiones adhibendas in ipsa concedenda communi praescribant consilio, ne ex dispari sententia rumoribus in populo excitandis causam suppeditent.

V. Ut porro sine magno labore certiores fieri possint, an in omnibus locis sollicitudini suae commissis recte omnia procedant,

curent ut annuae Parochorum Congregationes in unaquaque Paroecia semper habeantur. Quum enim maximum ex harum Congregationum intermissione in Ecclesiis detrimentum oriatur, ipsis et Parochis omnibus mandamus, hos coetus adeo necessarios fieri; et si alicubi hoc officium neglectum fuerit, resumatur; secus poenas quin et censuras pro culpae gravitate minitamur.

VI. In unaquaque igitur Paroecia Congregatio Parochorum semel saltem in anno cogatur. Comitiis praesit Vicarius Foraneus, eoque absente, antiquior in Beneficii possessione Vicariae Parochus. Praeter designationem Paroeciae, in qua proxima habenda erit Congregatio, dies quoque a Praeside constituetur, qui ferialis sit, non mercatus, et plerisque opportunus.

VII. Ad Congregationem convenire volumus ne dum Parochos, verum etiam Sacerdotes singulos etiam non Confessarios, et Clericos illius Paroeciae in qua tenentur comitia, et Confessarios Regulares, si in Conventu moralis lectio non habetur, ut praescribit S. Congregatio (1).

VIII. Statuta die, de qua monendus etiam populus, summo potius mane omnes ad locum indictum conveniant, et hora opportuna ad Templum se conferant superpelliceo omnes induti, et qui in praecedenti Congregatione electus fuerit, Missam pro defunctis, vel de Spiritu S. solemniter canet iuxta Praedecessorum statuta; et alter inter Missarum sollemnia suggestum ascendens concionem ad populum habeat. Absoluto Sacrificio Parochus celebrans assumptis stola et pluviali cunctis praesentibus, defunctorum animabus exequialia persolvat more consueto, isque suo tempore et loco benedictionem populo cum SS. Sacramento impertiatur. Vicarius inde Foraneus, vel qui est praefuturus, brevi et quasi summatim Ecclesiam visitet et Sacrarium, sacrasque supellectiles saltem feriales: insuper Parochiales libros perlustret, tum onerum Missarum catalogum, et inquiret omnia ne

(1) Encycl. S. C. Discipl. Reg. 8 Nov. 1732.

adimpleta fuerint, et hos libros cum sua subscriptione recognoscet. Nihil tamen novi decernat, sed tantum referat si quae redarguenda repererit.

IX. Hisce peractis, si tempus suppetat (aliter post refectionem fiat) ad quaestiones tam morales quam liturgicas in Calendario propositas discutiendas conveniant vel in Sacrarium, vel apud Parochum, aliumve a laicis remotum locum, ubi praemissa Spiritus Sancti invocatione, Parochus loci, in quo conventus habetur, Casum exponat: omnes incipiendo a iunioribus Sacerdotibus sententiam suam dicant breviter, modeste, voce vel scripto, momentis e locis Theologicis deductis confirmatam, altercationes et verborum strepitus semper devitando. Fiet postremo quaestionum resolutio per Parochum loci, scripto exarata, quae Vicario Foraneo est tradenda, ut ad Nos transmittatur.

Peracta resolutione per gratiarum actionem absolvatur Congregatio indictis die et loco futuri conventus. Post haec Sacerdotibus et Clericis exire iussis, Parochi inter se cum Vicario Foraneo de iis agant, quae ad rectam animarum administrationem necessaria reputabuntur: et si Vicarius Foraneus aliqua a Nobis significanda acceperit, ipsis aperiet.

X. Caveant autem, ne tanti momenti res ad solatium et ad commessationes instituta videatur. Ideoque minime quidem incusabimus prandium Parochi in cuius Ecclesia Congregatio celebranda, frugale tamen sit, et par honesto victui, in quo quatuor vel ad summum quinque dapes apponantur. Vicarius ergo ipse caeteris exemplo praeeat, et alios mensam mollius instruere interdicat.

XI. Et quoniam de Congregationibus sermo est, aliorum Episcoporum vestigiis inhaerentes praescribimus, ut praeter conventum Parochorum de quo egimus, in singulis Paroeciis, ubi duo praeter Parochum enumerantur degentes Sacerdotes quamvis non Confessarii, semel in mense, die a Parocho statuta, vel in Ecclesiae Sacrario, vel in aedibus Parochialibus se colligant,

et casus moralis in Calendario propositus in disputationem vocetur, et resolvatur, modo quem de superius enunciatis Congregationibus edictum reliquimus. Hisce collationibus aderunt Clerici et Sacerdotes omnes etiam non Confessarii illius Paroeciae; et summam resolutionis casuum ad Nos quando Nobis libuerit deferat Parochus: hoc pacto Theologicae institutiones assidua versabuntur manu ad populi utilitatem, et Ecclesiasticae doctrinae incrementum.

XII. Quoad Parochos Civitatis sua hac de re peculiaria servent statuta, iisque omnimode adhaereant.

XIII. Est et aliud officium, quod Vicariis Foraneis incumbit. Ipsi enim Sacerdotem aut Clericum sacro Ordine insignitum huc mittant qui sacra olea recens consecrata a Maiore Metropolitanae Basilicae AEdituo petat, accipiatque in tempore quo feria 6ª Maioris Hebdomadae sub vesperam suis Parochis omnibus distribui possint. Atque ut cuicumque excusationi aditus praecludatur, poterunt Vicarii cuicumque Clerico, vel Sacerdoti, nisi Parochus sit, nomine Nostro praecipere, ut id itineris arripiat sub poenis Nobis arbitrariis: electos autem ab ipsis Sacerdotes vel Clericos Nobis significent die qua habetur in hoc Palatio generalis Congregatio Parochorum et Confessariorum, vel ad summum feria 5ª Hebdomadae Passionis. Caveant ideo tum Vicarii Foranei, tum Parochi, ne Olea eiusmodi a laicis viris ferenda committant.

XIV. In eo autem sollicitum praecipue iubemus Vicarium Foraneum, ut cum aliquis Parochorum suae ditionis in infirmitatem inciderit, ad eum cito se conferat, Pastoris diligentis ac amantissimi officio fungatur, Sacramentis muniat, et si nullus infirmo Parocho aderit coadiutor, ei misericordi animo flagrans eamdem opem praestet, quam cuicumque ex suis exhibere teneretur. Si ille ex hac vita migrarit, corpus tumulo tradendum curet, convocatis caeteris in ea regione animarum Pastoribus; eiusque erit funerari ac Missam concelebrare, et ad ipsum spectabunt parentalium et cerae emolumenta.

Antequam autem a Paroecia viduata discedat, aliquem ei praeficiat Sacerdotem ad audiendas Confessiones approbatum, qui onera vacantis Ecclesiae interim sustineat, Nobisque rem totam statim per literas aperiat, et signanter an Sacerdos delectus is sit qui velit et valeat Paroeciam vacantem administrare, ut vel eumdem vel alterum deligamus tamquam Vicarium Parochialem, donec defuncti Successor renuntietur. Insuper hoc temporis adiuncto coram duobus, iisque gravioribus testibus ex eo loco assumtis indicem statim conficiat accuratissimum totius supellectilis, librorum Parochialium, scripturarum, rerumque mobilium ad Ecclesiam vel ad Successorem quoquo modo pertinentium, quas aut OEconomi fidei committet, aut tutae alteri personae custodiendas credet: hoc autem inventarium a se, a Vicario Parochiali et testibus subscriptum conficiatur Successoris sumptibus, in cuius utilitatem praecipue cedit, et apud se in tabulario retineat, eiusque exemplar eodem modo signatum OEconomo Parochiali tradat.

XV. Haec omnia ei Vicario Foraneo committimus qui Parochus etiam sit; nam si curam animarum actu non habeat, solum rerum ad Ecclesiam et Successorem spectantium repertorium faciat, atque OEconomum ad paucos dies substituat, Nos interim de omnibus certiorem faciendo; caetera vero praestet vicinior Parochus Vicariatus (ducta distantia a domo parochiali), quae etiam omnia praestabit, si Vicarius quilibet quacumque de causa abfuerit, vel mortalitatem expleverit; et si Vicarius e vivis sublatus Parochus non fuerit, proprius ipsius Parochus ei parentabit.

XVI. A qua lege excipiendas ducimus Collegiatas Ecclesias, in quibus si decedat Vicarius Foraneus qui simul Parochus fuerit, antiquior de Capitulo ex iis qui ad Confessarii munus approbati existunt, Vicarii partes quoad librorum inventarium, aliaque id genus exerceat, nisi secus Nobis videbitur.

XVII. Ut autem litigantium incommodo et expensis parca-

mus, aequum putamus, aliquas leves civiles causas ad Forum Ecclesiasticum pertinentes brevi et summatim dirimendi Vicariis Foraneis copiam facere: ideoque civiles causas (matrimonialibus semper exclusis) quae summam libellarum quinquaginta Pedemontanae monetae non excedunt, et quae iura aut obligationes non involvunt in futurum tempus perseverantes, eorum iudicio definiendas permittimus in propria ditione. In criminalibus vero, quas omnes ad Nos reservamus, nullam etiam sibi assumant contra reos inquisitionem, nisi a Nobis fuerint delegati vel a Vicario Nostro Generali, vel nisi periculum impendeat in mora, ne probationes pessum eant, vel res urgeat.

XVIII. Quotiescumque ipsi, et Parochi urbem petierint, haud illos pigeat Nos adire, ut rationem rerum sibi commissarum etiam voce reddant, et consilia, praeceptaque Nostra accipiant: sciant enim, Nos libenti semper animo excepturos Sacerdotes omnes, illos praesertim quos in Pastorali munere adiutores habemus.

XIX. AEquissimum autem est ut adiutores in partem sollicitudinis Nostrae vocati aliquo exteriori signo ornentur, ut palam internoscantur. Quamobrem Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes aliud pro Vicariis, et aliud pro Parochis honorificum vestimenti genus constituimus: Vicarii Foranei supra superpelliceum deferent sericum palliolum vulgo *mozzeta*, quod tamen duos tresve digitos tantum infra brachiorum flexum circumquaque defluat: exterius violacei sit coloris, interius autem rubri, cum rubris pariter globulis utramque anteriorem partem de summo ad imum usque nectentibus: Baculum praeterea deferent ex ligno denigrato in argenteum globum supra desinentem. Parochi autem *mozzetam* pariter induant ex panno laneo violacei coloris, intus vero ex serico rubro subsuto, tribus tantum rubris globulis anteriorem supremam partem nectentibus. Hoc ornamentorum genere admonentur Vicarii Foranei et Parochi, se sicut habitu a caeteris Clericis, ita et doctrina et prudentia, et toto vitae genere distinctos esse debere.

CAPUT XXI.

De Parochis.

I. Gravis et periculi plena res est Pastorale officium, et onus vel ipsis Angelicis humeris formidandum, ut nemo in sacris studiis parum versatus, vel virtutibus vacuus, aut minime vocatus illud suscipere unquam debeat.

Nefas esse omnes sciant, in animarum regimine suscipiendo, honores, praeeminentias, et quod detestabilius esset, turpe lucrum sibi ob metam proponere. Parochialis muneris dignitatem, et gravem quam quisque AEterno Pastori Iesu Christo redditurus est pro ovibus suis rationem, probe meditentur, atque intelligant. Studeant ante omnia ita vivere, ut quid mali non solum ex eorum vita colligere, sed ne suspicari quisquam valeat; sibique potissimum tradita arbitrentur praecepta Apostoli Ecclesiae ministrum instituentis: » Exemplum esto Fidelium in » verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. (1) » Haec si fecerint leve et factu facile experientur, quod gravissimum alioquin esset et difficillimum.

II. Parochi fideliter executione compleant quae de iis hactenus constituta leguntur, maxime quae de vita et honestate Clericorum et de menstrualibus Congregationibus sive in hac Synodo, sive a Praedecessoribus Nostris decreta sunt.

Ministerium suum per se ipsos pro viribus praestent, hacque de causa rerum divinarum studio assidue vacent; neque ipsos praetereat adiutores ab Episcopis non dari, ut ipsi a cura ovium eximantur, et gregem coadiutoribus pascendum relinquant; sed tantum ut habeant qui promptam ferat in necessitatibus opem: ipsi per se idcirco instruant populum, nec praetextu alicuius

(1) Ad Timoth. c. 4 12.

sollemnitatis in attigua Paroecia, aut pessimae alius consuetudinis Parochiales functiones aut Doctrinae Christianae instructiones praetermittant; et illud amandetur feriarum nomen a Pastoralibus officiis, cum semper Divini verbi pabulo Fideles indigeant; ipsi insuper Sacramentis populum pascant, ipsi Parochiam circumeant, et videant, an rustici Fidei rudimenta calleant, an Sacerdotes qui loci Sacellis inserviunt, suum officium adimpleant, et pueros catechizent, et quam vitae rationem sectentur: oves suas omnes cognoscere curent; quam ad rem optime iuvabit catalogus animarum, quem ob sinceram etiam librorum Parochialium descriptionem quotannis conficiendum iubemus.

Quisque tandem excubet ad dicteria removenda quae ob ancillas erumpunt, cum in negotiis quoquomodo ad Paroeciam spectantibus se arroganter intrudere quaerunt.

III. In propria Ecclesia, prout ex Tridentini lege et sanctae Congregationis decretis cautum est, continenter resideant: incredibile enim est quantum ex Pastoris absentia salus ovium in periculo versetur. Quum autem iusta quandoque subesse possit ratio ut a Paroecia discedant Parochi, etsi integrum quidem diem sine licentia Nostra abesse iure possint, tamen Parochorum iudicio et prudentiae relinquitur per biduum abesse: abesse autem neque per diem possint, nisi substituto idoneo Sacerdote Confessario, qui subitis casibus praesto sit. Si praeterea ultra quatriduum abesse eos debere contingat, a Nobis, vel a Vicario Nostro Generali licentiam petant; si inopinato urgeat discedendi necessitas, tunc a Vicario Foraneo, et iste si Parochus sit, ab antiquiori Vicariae Parocho facultatem impetrent, ut, si in Paroeciam brevi non sint redituri, Nos certiores de re omni faciant.

Monemus autem animarum Moderatores, absque legitima causa et oblectationis tantum gratia non debere stationem suam saepe deserere, multo minus nocturno tempore, ne Pastores desides, otiosi et vagi videantur, et scandalum ovibus suis praebeant.

IV. Neque sat erit in Paroecia residere, sed mandamus omnibus, ut Parochiales aedes inhabitent, nec unquam paternae vel propriae domus habitandae causa, Parochiale domicilium derelinquant; propter hoc si in quibusdam locis neglectae et ruinosae sint, ipsarum curam gerant; sartas tectasque servari studeant, praecipue a servitutibus, atque collabentes a quibus de iure instaurari curent. Cum Parochis resideant etiam in Parochiali domo coadiutores, aut saltem in domicilio, quantum fieri poterit, prope Ecclesiam conducto sedem habeant. Qui aliter contra haec Nostra de residentia Decreta se gesserint, gravibus poenis, etiam fructuum Praebendarum privatione plectentur.

V. Pro populo sibi credito assidue orent, et Missae Sacrificium singulis diebus Dominicis et Festis pro ipso applicare ne obliviscantur, nulla percepta pro huiusmodi applicatione eleemosyna, etsi Parochi egentes fuerint, et aegre ad victum necessaria habeant, prout Tridentini lege cautum est, et Benedicti XIV Constitutione(1). Idque etiam de Vicariis ad tempus, vel in perpetuum constitutis, et de OEconomis Ecclesiarum vacantium statutum esto.

Istud porro Sacrum praemissa Dominicis diebus aquae lustralis benedictione, ea hora faciant vel canant, quae convocandis Fidelibus, non sibi opportuna videatur; et inter Ipsum vigilias et festa annuncient, et Evangelium explicent, ut diximus. Edicta et Decreta Nostra quae promulgari iniunximus, atque Indulgentias inter Missarum sollemnia etiam publicent; nec legant solum festinanter, sed dilucide quoque explanent, ut ab omnibus percipiantur. Nihil autem profanum, aut quod ad profanarum rerum annuntiationem attinet, de Altari evulgent, nisi Nostro consensu explorato.

VI. Officiorum divinorum celebrationem, et spiritualium exercitationum usum, quem in propria Ecclesia vigere compe-

(1) *Cum semper* 19 Aug. 1744.

rerint, constanter teneant, si cum Ecclesiasticis regulis consentiant. Anniversarium Dedicationis propriae Ecclesiae diem sollemniter celebrent, tum Missae Sacrum ritu sollemni de Dedicatione quotannis faciant, cui reliquos Paroeciae Sacerdotes, et Clericos superpelliceo induto assistere et ministrare suadeant. Hebdomada maiore officiis et ritibus ab Ecclesia institutis Passionem Christi Domini recolant, ac in Paroeciali Ecclesia praedicari curent. In eadem hebdomada saltem per totam diem feriae 6^{ae} Olea renovata, quibus ad fontis benedictionem utantur, misso Presbytero aut Clerico in sacris constituto ad Vicarium Foraneum, accipiant.

VII. Decorem domus Dei diligant, sordes omnes ab Altaribus et a Templo eliminare satagant, et efficiant ut Ecclesia incolumis servetur, sacrisque supellectilibus si non pretiosis, mundis saltem sit satis instructa. Nemini sedilia in Ecclesia collocandi facultatem faciant; neque existentia moderari et reducere permittant Nobis inconsultis.

Quoties in loco nullus est constitutus Vicarius Foraneus, et agatur de extrahendo reo a loco sacro, fas sit Parocho in casibus a iure expressis licentiam concedere.

VIII. Quicumque Parochiae possessionem adierint (quod et a Beneficiatis omnibus faciendum stricte praecipimus), intra sex menses eius beneficii annuos census, decimas, praedia et loca, unde illi percipiuntur, legata item pia perpetua, bona semoventia, si quae habent, mobilia, actiones, iura et onera imposita diligentissime conquisita et accurate descripta ad Nos deferant, adhibitis duobus testibus ex peritioribus loci et fide dignioribus, qui subscriptione sua confirment ea ab Ecclesia pacifice possideri. Huius scripti duo conficiantur exemplaria, quorum alterum penes se retineant, alterum Nobis tradant in Archiepicopali Archivio servandum.

IX. Archivium, ubi non adest, erigere haud negligant vel in Sacristia, vel in Parochiali aede, proposita in inobedientes

trium aureorum poena in pauperum Hospitiorum beneficium; seris clausum et in salubriori loco positum, et fideli cura custodiant ut nemini pateat. In ipso tantummodo reponantur Parochiales libri tam antiqui quam recentes recto ordine collocati, instrumenta item, chirographa ac documenta omnia, quae ad Ecclesiarum suarum bona, reditus, iura et onera quomodolibet sint pertinentia, authentica demum Reliquiarum testimonia, Indulgentiarum diplomata, Visitationum Decreta, Episcopalia Edicta, et Literae sive a Romana Curia, sive a Nostra impetratae. In huiusmodi Archivio serventur pariter libri, quos omnes animarum Rectores habere debent, in quibus Legata et Missarum onera in Paroecia et Oratoriis subiectis adimplenda describuntur, ut de integra satisfactione fides evincatur, prout de Legatis disseruimus.

X. Cogitent se teneri accepta pro viribus tueri, amissa reparare, fundos meliores potius efficere et magis fructiferos, nihil detrimenti in parochialia bona sinere: arbores, nisi quae ceduae sunt, aut demortuae, neque succidere, neque evellere, ne eas quidem quae aedificationibus Ecclesiasticis usui sunt, eruere sine Nostra scripta licentia; boni, uno verbo, patrisfamilias partes agere; hocque dictum etiam de omnibus Beneficiatis censeatur.

XI. Videant tamen Parochi, ne dum strenue iura Ecclesiarum defendunt, rigidi nimis sint. Caveant ne luctum moeroremque in familiis re domestica laborantibus, et quibus iam tantus est ob iacturam patris vel matris, adaugeant, nimis enixe afflictos haeredes ad solutionem urgendo stipis detollendo cadavere solitae erogari. Tobiam memorent, et quomodo *mortuis sepulturam sollicitus exhibebat* (1): ob quam charitatem *Deus memor fuit illius.* Caveant ne adversus Fideles sibi commissos levi praesertim de causa, lites instaurent: has enim omni studio effugere debent, iuxta Apostoli monitum: *Servum Domini non oportet litigare* (2).

(1) Tob. cap. 1. v. 20. (2) II. ad Timoth. 2. v. 24.

Si controversias aliquando habuerint, vel amice componant, vel ad Nos aut ad Vicarium Nostrum Generalem de partium consensu quoad fieri poterit dirimendas deferant.

XII. Parochi, cum aliquis Ecclesiasticus vir Beneficium possidens in propria Paroecia diem extremum obierit, codices et scripta ad Beneficium ipsum spectantia colligant, nisi ubi ea cura demandata est OEconomo Regio Apostolico, atque apud se retineant novo Beneficiato iussu Nostro tradenda: insuper Nobis statim aliquem proponant in OEconomum Beneficii vacantis, qui honestate morum sit praeditus, et sufficienti patrimonio instructus.

XIII. Instent haeredi, cui testator legata pia solvenda reliquit, ut comprobet se piae voluntati testatoris satisfecisse; in universum an a Beneficiariis et Capellanis, necnon a Confraternitatum administratoribus exacte Missarum oneribus satisfiat; inspiciant, et curent, ut de omnibus satisfactionibus constet in libro Legatorum, de quo mentionem fecimus. Hinc in memoriam Notariis revocent onus denunciandi Parocho legata pia, ubi eos negligentes hac in re deprehenderint.

XIV. Quum Pastores positi sint non solum ut aedificent et plantent, sed ut evellant et destruant, hinc si quos perditos homines in suis Paroeciis compererint, uti sunt publici blasphemi, concubinarii, morum corruptores, postquam eos paterna charitate obsecraverint, valentiori deinde facie, salvis prudentiae legibus, acrius obiurgare ne vereantur, ac demum ad Nos deferant, ut efficacius eos coercere conemur.

Nullo modo se immisceant publicis Communitatis negotiis, nisi quum charitas compelleret: cum laicis comessationes, aliaque omnia, quae Sacerdotis dignitatem vel auctoritatem imminuere possunt, devitent; caveant ne vitia obsoleta reviviscant, nec nova exoriantur; enascentia zizania suffocent antequam altioribus radicibus adolescant.

XV. Ecclesiasticorum praesertim mores diligenter explorent,

ac si quid censura dignum noverint, benigni ac faciles ipsos moneant; et pertinaces Nobis denuncient. Idem de iis dicendum, qui ad Ecclesiasticum statum adscribi postulant.

In Ludimagistros et Praeceptores etiam attente arrectoque animo invigilent, si ingenuis moribus, probataeque prorsus vitae sint, si pueros optime literis et catechesi erudiant, aliaque praestent, quae in hac Synodo a Nobis tradita leguntur.

XVI. Capellas et Sacella campestria eadem auctoritate regant, qua Parochialem Ecclesiam moderantur, nisi secus aut canonica fundatione fuerit consultum, vel legitima veterique consuetudine adductum.

Ipsis invitis minime ibi distribui poterit Eucharistia.

Videant an Capellani diebus festis, hora a Parocho indicta Sanctum Sacrificium celebrent, et Catechesim habeant. In solemni festo quod ibi incolitur, si secus peculiari pacto initum non fuerit, Parochorum esto Missas, Vesperasque concinere, aliave munera vel per se ipsos praestare, vel per alium Sacerdotem ab ipsis delegandum, congrua eleemosyna iuxta cuiusque loci rationem sibi per eos quos spectat collata.

In Sodalitates etiam suae Paroeciae animum intendant, ut et propria statuta, et Episcopalia Decreta obsecundentur.

XVII. Curent apud quos spectet, ut quadragesimali tempore diebus saltem festis Evangelica praedicatio instituatur (1). Eleemosynas quotannis iuxta liturgici Calendarii praescriptum, tum diebus quadragesimalibus, tum quolibet alio tempore, vel per se, vel per Concionatores commendari enixe studeant et colligi, et inde integram ipsarum summam ad Archiepiscopalem Curiam caute transmittant, omnesque meminerint, esse fideliter iuxta largientium mentem distribuendas, ac praecipue excommunicationis maioris poenam incursuros eos qui eleemosynam pro locis Terrae Sanctae coactam minuere, vel in alios et pios etiam usus convertere audebunt (2).

(1) Brevis s. Pii V. (2) Apost. Const. 20 Aug. 1713. et 31 Iul. 1778.

XVIII. Ab eleemosynarum quaestoribus, Eremitis praesertim, et quibuslibet religioso quodam habitu indutis, exceptis Regularibus mendicantibus in regione cuique Conventui assignata, quovis titulo quaeritandi institutum exercentibus licentiam, quam ad id a Nobis implorare debent, sibi exhiberi iubeant; et nisi literis Nostris munitos repererint, vel conditionibus in ipsis appositis minime adhaeserint, illos omnino compescant, si oportuerit, invocato etiam saeculari brachio, Nosque edoctos efficiant, ut, prout iuris fuerit, pronunciemus.

XIX. Infirmorum curae quam maxime invigilent, ipsos frequenter invisant, solentur ac suppetias ferant: ad incitas adactos et morti propinquos non deserant, nisi alio delegato Sacerdote: Pontificiam benedictionem aegrotantibus in articulo mortis constitutis, uti a Nobis Subdelegati, impertiantur iuxta formulam in appendice exaratam. Quum autem quis in agonem inciderit, aeris sacri signo populum moneant ad Dei opem morienti exorandam; imo eorum locorum consuetudinem commendamus, ubi Fideles ad templum convocantur, ibique dictis precibus pro Fidelibus morti obluctantibus ab Ecclesia receptis, populo cum Pyxide vel Ostensorio benedicitur.

XX. Vilissimum *mercenarii* nomen a Nostrae Dioecesis Paroeciis iuxta Tridentinorum Patrum effata, penitus recedat. Ubi in praesentatione a Patronis facienda aliquod tempus pro Parochiali regimine praesentatis ipsi statuere praesumpserint, reiiciatur omnino nominatio, et si Patroni ad meliora consilia non revocentur, post quadrimestre iure devolutionis providebimus. Idcirco qui ad animarum curam etiam in hisce Ecclesiis patronatis assumentur, postquam praescriptis regulis probati et electi fuerint, canonice ad vitam, prout caeteri, instituentur.

XXI. Reliquum est, ut decernamus, quomodo inter successorem in Parochiali beneficio (quod et de caeteris Beneficiis sive residentialibus, sive simplicibus dictum intelligatur, excepto Capitulo Nostro Metropolitano, cui proprio statuto provisum est)

et Decessorem componi res debeat circa fructuum divisionem. Prae oculis habentes quae a Concilio Provinciali Mediol. 7° statuta leguntur (1), quibus fructuum portio successoribus debita Episcopi arbitrio definienda committitur, decernimus: fructus omnes cuiuscumque generis, quos dabit Beneficium eo anno, quo vacare contigerit duodecim in partes dispertiendos, quae duodecim mensibus respondebunt; hinc pars cuilibet mensi respondens dividenda erit pro numero dierum, quibus mensis conflatur; tot nunc partes fructuum haeredibus defuncti tradentur, quot menses et dies vixerit Beneficiarius; reliquae ad successores spectabunt, deductis quae deducenda erunt pro Vicario Parochiali, et OEconomo bonorum, quibus solvendum erit id, quod vel nominationis actu, vel peculiari Decreto a Nobis statuetur. Eodem plane modo Beneficii onera partiantur, et pro parte fructuum perceptorum ab haeredibus et successore adimpleantur. Haec quoque serventur ab iis, qui Beneficium quacumque de causa dimiserint, et iis qui fuerint illud assecuti.

XXII. Vetitum esto Beneficiariis omnibus sub praetextu quocumque, vel quovis titulo vel colore vendere sui beneficii proventus vel ad vitam, vel ad longum temporis spatium, recepta ab emptore pecuniae vi, quam ipsi per dictum tempus essent probabiliter consecuturi (2).

Item sibi non licere sciant Beneficii bona aut Patrono, aut illi cuius cessione beneficium ipsum obtinuit, aut suis in primo alterove gradu consanguineis sive in perpetuum, sive ad tempus etiam per suppositas personas locare, sub poenis arbitrio Nostro infligendis, nisi evidenti Ecclesiae utilitate perspecta scriptam a Nobis retulerint facultatem (3).

(1) Tit. *de fruct. Ecclesiast. Clerici defuncti.* (2) Bened. XIV Const. *Universalis Ecclesiae* 29 Aug. 1741. (3) Conc. Prov. 2. tit. 3. Decret. 5.

CAPUT XXII.

De Regularibus utriusque sexus.

I. Etsi temporum calamitate Regulares Ordines funditus eversos, Religiososque viros ac Virgines Deo sacras e Coenobiis exturbatas pluribus abhinc annis lamentaremur, Dominus tamen, qui dives est in misericordia, in ipsos respexit, et denuo reflorescere intuemur. Laetantis animi Nostri affectus dissimulare nequimus, et gratulamur tum de partis iam fructibus, tum de illis, quos laturos auguramur: hortante ergo Benedicto XIV nonnulla de ipsis in hac Synodo dicemus.

II. Ea, quae ad Regulares singillatim pertinent supra multis in locis descripta diligenter innotescunt, ideoque hasce Nostras Constitutiones versare non taedeat, ut omnia ipsis perspicuo patefiant. Norint se in vinea Domini excolenda non praecipuos operarios, sed adiutores tantum fuisse designatos: ac propterea Clero saeculari, ac praecipue Parochis sancto charitatis vinculo adhaereant, et nullus aperiatur altercationibus, et dissidiis locus, quae semper scandalum fidelibus concitant.

Ab omnibus officiis et benedictionibus abstineant, quae quovis modo ad Parochos spectant; immo in suis agendis officiis et publicis precibus id sibi tempus et horam ne deligant, quibus ab instructionibus et functionibus Parochialibus populus avocetur, vel per campanae signum avocandi occasionem praebere valeant: secus auctoritate a Summis Pontificibus in ipsos hac causa concessa, etsi inviti, utemur.

III. Cum Religiosorum mendicantium Domus pro spirituali populorum commodo datae sint, libere in loco, ubi morantur, victum quaeritent, eisdemque benevolos Fideles ominamur. Si ex consuetudine extra eadem loca quaestum iverint, Parochos saltem pro prima vice adeant, suorum Superiorum scriptam fa-

cultatem exhibentes ut cognoscantur: qui vero extra Dioecesim commorantes huc ad annonam colligendam conveniunt, Nobis suorum Superiorum licentiam praebendam esse sciant, ut literas quoque Nostras singulis annis adipiscantur, quibus haud impetratis, a Parochis recedere iubeantur.

IV. Tenentur Regulares, paucis exceptis, Supplicationibus, quae in usu iam sunt, aut publica de causa indicuntur, sedulo interesse (1). Si quas ipsi ducere voluerint, extra Claustra ne protendant, nisi accedente Nostra in scriptis facultate. Sanctissimum Sacramentum infra annum publice non exponant, nisi ex publica causa et accedente Nostra venia: nunquam bis in die, ut iam innuimus, in propriis Ecclesiis benedicatur, nec nocturno tempore. Ea omnia demum, quae ab Apostolicis Constitutionibus et Sacris Canonibus praescripta sunt ob oculos semper habeant, et servare studeant. Clausurae legibus insistant, solitudinem diligant, nec extra Claustra vagari deprehendantur, praecipue saecularium domos et familias frequentando, et ubi itinerantes laicis hospitiis utentur, optimum sui continuo specimen praebeant.

V. Ut Regularibus benevoli animi Nostri significationem praestaremus, etsi iuxta S. C. praescriptum Monasteria cuiuscumque Ordinis sub Nostra sint potestate constituta, tamen ut Praedicatorum Ordini subiiciatur Monasterium nuper Tridini erectum, assensum dedimus: confidimus huius Ordinis Superiores assidue vigilaturos, ut omnia ad Canonum sanctiones fiant, tum quoad Confessarios, tum quoad clausuram, et singula, quae et Dei cultum et decus Domus suae et Virginum spirituale temporaleque commodum respiciunt.

VI. Ut aliquid de Monialibus etiam addamus, magno gaudio afficimur cogitantes, post commune naufragium in hac Civitate nunc redivivum splendescere Monasterium *Clarissarum* nuncu-

(1) Concil. Trid. Sess. XXV. cap. 13 de Regul.

patum, quae et Dei laudibus concinendis, et puellarum ingenuarum educationi sedulo incumbentes, optime de Dioecesi iam merentur. Nihil praeterea est, quod modo pro ipsis subiiciamus: Constitutiones et temporum et personarum dedimus accomodatas circumstantiis die 17 Maii 1834: eas ergo summa animi alacritate semper observatum iri Nobismetipsis pollicemur.

VII. Neque silentio ullo modo praetereundae Sorores sic *a Charitate* appellatae, quarum praecipua inter Pedemontanas domos in hac Civitate constituta est, a qua longe lateque per regnum dispertiuntur. Quis Congregationem hanc dignis laudibus non prosequatur? Quis uberes in dies fructus enumerare, qui tum ex ingenuarum, tum ex pauperum puellarum educatione comparantur? Quid de Hospitiorum regimine, quid de assidua infirmorum assistentia dicemus? Nullum, ut paucis omnia complectamur, nullum est charitatis opus utcumque arduum et laboriosum quod non modo non detrectent, sed etiam effuso, volentique animo non prosequantur. Pergant igitur in sancto proposito, Deumque semper prae oculis habeant, animarumque salutem; per Divinarum Legum, suarumque Constitutionum integram observantiam virtutibus intus exornentur, quarum splendor in proximi exemplum et aedificationem extrinsecus eluceat. Illis mentem studiumque adhibebimus, et omnes vires Nostras conferemus, ut quae se Christo, et proximi saluti dicaverunt, mundo et suis pompis valedicentes, opus suum magno praemio destinatum consument.

VIII. Puellae Monialium institutioni traditae, animi ac corporis cultu sint verecundo; vestes induant decentes; ad collocutionis loca ne accedere sinantur, nisi consanguinei in primo gradu eas arcessiverint, aut ii, qui absentibus parentibus ipsorum personam gerunt, et Magistra eas comitetur.

Si in musico cantu se exercere libuerit, aut aliquod musicum instrumentum pulsare, liberalemque artem, vel linguam discere, exterum praeceptorem ne Moniales vocari permittant, nisi a

Nobis facultatem sint assequutae, quam recusabimus, nisi gravis, et honestus sit vir, optimeque audiens, et pro certis horis tantum.

IX. Sacerdotes quilibet nisi a Nobis approbati non audeant in Monialium Ecclesiis Capellani munus assumere; neque Missam sine Nostra venia ibi celebrare, exceptis diebus festis Titularium, Anniversariorum, et quibus suffragio Moniali defunctae parentatur.

X. Regulares denique Ordinis cuiuscumque sint, meminerint, cum Monialibus etsi ab Ordinarii iurisdictione exemptis, ullisve mulieribus intra Claustra degentibus etiam ad temporis punctum sine Nostra licentia scripta, se colloqui non posse, quin poenas gravissimas a Summis Pontificibus contra ipsos inflictas sint subituri.

CAPUT XXIII.

De Laicorum Piis Societatibus.

I. Inter pia loca, quae curae et Episcoporum vigilantiae sunt demandata, praecipue Confraternitates enumerantur; Laicorum nempe Sodalitates ad Christianae Reipublicae utilitatem institutae, et hoc intuitu a Summis Pontificibus muneribus spiritualibus cumulatae. Maximi revera Ecclesiae refert, ut Fideles fraterno animo ad quaedam Religionis officia convenirent, et certas regulas secuti, singulari Dei, Beatissimae Virginis, et Sanctorum obsequio, piis salutis exercitiis, et Charitatis operibus incumberent.

II. At quod in omnibus rebus persaepe contingit, nonnulla in Sodalitates irrepere veremur, quae Nostra consilia expetere videntur.

Persuasum igitur in primis habeant Confratres, satis non esse Societatis piae nomen praeferre, nisi et officia adimpleant, preces

videlicet praescriptas recitent, charitatis opera, infirmorum visitationem, sacras erga defunctos obligationes servent; ipsis enitendum totis viribus est, ut vitia devitent, festis diebus ab otio, ab ebrietatibus, a ludis abstineant, Sacramenta frequentent, et Catechisticis institutionibus sedulo intersint.

III. Nullum Laicorum Sodalitium sive in Regularibus sive in Saecularibus Ecclesiis excitare fas sit Nobis inconsultis; illud vero potissimum, et vehementer urgemus, ut in singulis Paroeciis instituantur atque institutae foveantur Sodalitates SS. Sacramenti, Doctrinae Christianae, ac S. Dorotheae; et animarum Curatores has quam maxime promoveant, atque hac de re sollicitam indulgentemque Nostram auctoritatem polliceantur.

IV. Sentimus autem Nostrae vigilantiae munerisque esse, ut in istis Sodalitiis omnia iuxta ordinem fiant, ut rescindantur, penitusque evanescant, ubi fortasse exarserint, iurgia et discrepantiae; ut propriis Ecclesiis prospiciatur, atque hinc ut ipsi Confratres plane dignoscant, quanti eos in Domino faciamus, aliquas sive ab Ecclesiasticis Constitutionibus, sive a D. Caroli actis excerptas et italico idiomate intellectu omnium faciliores indicimus regulas ab omnibus Sodalitatibus religiose observandas (1).

CAPUT XXIV.

De Sacrosanctis Ecclesiis, earumque veneratione et cultu.

I. Cuique Sacros Codices volutanti statim occurrit quantum Moyses, David, Salomon, Nehemias ad Tabernaculi decus, et Templi maiestatem studium contulerint; certis ergo eorum ve-

(1) Prostant apud Typogr. Archiep.

stigiis inhaerentes omnis cura Nobis est impendenda, ut debitus Templis Nostris honor et observantia praestetur, et eo magis quod longe illustrior gloria Domus istius novissimae, quam prioris absque ullo dubio sit aestimanda. Ista enim et eo augustior est illa, quo vere in nostra ea omnia adimpleantur, quae in illa tantum in figura et vaticinio contingebant. Domum Dei igitur quam maxima decet sanctitas; summus a Fidelibus honos est illi deferendus, maxima ipsa gravitate et modestia est adeunda.

II. Sint Templa munda omnia et nihil sacris Mysteriis in ipsis indignum, si qua ex parte vel vetustate, vel temporum iniuria, vel quacumque alia calamitate, caducitate laborent, illico restaurentur, ac pristino nitori restituantur.

Parietes puri sint, tectum satis sarctum, solidumque; pulvis a fornice, a muris, ab Altaribus identidem excutiatur: pavimentum per singulas saltem hebdomadas, et chorus adiri solitus saepius everratur: firmissimis repagulis contra imbrem, ventorumque impetum ostia ac fenestrae claudantur et firmentur. Ad portas Ecclesiae et obviam introeuntibus adsit vas marmoreum cum aqua lustrali, quod creberrime expurgandum, et aqua quovis octiduo renovanda.

III. Nova Templa et Sacella vel Oratoria construere, vel constructa diruere, vel ad profanum usum convertere, vel etiam novas ianuas aut fenestras efformare nemini liceat absque Nostra facultate. Quando de Ecclesia Parochiali excitanda res erit, Nostra refert locum aptiorem ubi aedificetur statuere, et ipsius dimensiones; nec non Nobis reservamus facultatem primum lapidem per Nos, vel per Delegatum Nostrum benedicendi. Si vero de publicis Capellis vel Oratoriis agatur, licentiam ista erigendi minime dabimus, absque eo, quod de congrua dotatione Nos certi evadamus.

IV. Primo diluculo Ecclesiae aperiantur, occidente die claudantur, et post mediam noctis horam nunquam reserentur, nisi ministrandi Viatici necessitas cogat; Regulares Apostolicarum

Constitutionum memores hanc legem nunquam infirmandam intelligant. Nullus ab aedibus laicorum ad Ecclesiam pateat aditus vel prospectus interior absque Nostra facultate. Parochialium Ecclesiarum claves penes Parochum semper custodiantur. Turris sacra tuto ostio cum sera et clavi obseretur, et hoc summopere urgemus etiam Regiis placitis uti par est obtemperantes.

V. Ut Templorum reverentiae magis consulatur, vetitum esto diu retinere in Ecclesia spicarum manipulos vel quosvis frugis acervos, quos quantocius removeri praecipimus; ad exteriores parietes sordes non afferantur, vel aliud vile ministerium prope Ecclesiae ianuas patretur. Nemo privatas schedulas, invitationes etiam sacras, monita, aliave scripta valvis vel parietibus Ecclesiae affigere audeat, nisi huiusmodi schedulae a Nobis in hac Civitate probatae fuerint vel a Parocho extra Urbem; secus de mandato Rectoris vel Administratoris Ecclesiae avellantur. Non sine magno incommodo saepe saepius a latratibus conciones perturbantur, aliaeque sacrae functiones: hinc animarum Moderatores in noxiam consuetudinem introducendi canes in Ecclesiam, quod ne theatralium quidem aularum vigiles patiuntur, insurgant, et plurimi intererit si aliquis ad illos expellendos deputetur.

Matres insuper et nutrices monitas velint, ne infantulos ad Ecclesiam secum gestent, quorum vagitibus interdum sacrae persônent parietes: inconditos clamores, strepitus, ludos, choreas, spectacula ad Ecclesiae vicinia, quo maxime tempore Divina peraguntur officia ne omnino perferant, malasque ubi obtinuerint id genus consuetudines, e medio tollere conentur. Transitum etiam per Ecclesias aut alias servitutes nullo modo induci sinant. Iuxta muros Ecclesiarum non subolescant vites vel arbores, quae aut radicibus obesse possent aedificio, vel tecta fenestrasque obumbrare.

VI. Sacras aedes pacis habitacula et mansuetudinis refugia armatus nemo ingrediatur, nisi honoris, officiique causa: hume-

ris, brachiis, cubitis sacro Altari nemo incumbat, iique pileum, chirothecas, pallium non imponat. Aquae lustralis fontibus nemo insistat, in confessionalibus non sedeant, et supra Templorum laquearia aut fornices nulla insint ad profanos usus cubicula; nullae agantur in templis repraesentationes etsi sacrae sub poena interdicti. In Sacristiam, qui locus Sacerdotum et Clericorum est, ne se inferant laici sine necessitate; ad altaria Sacerdote Sacra ineunte nunquam, mulieres praesertim, propius accedant. Adversus foeminas clamare non desinant Pastores et Verbi Dei praecones, quae non velato capite contra Apostoli praeceptum Ecclesiam adire non erubuerint. Sanctam consuetudinem a priscis Ecclesiae saeculis invectam, ut foeminae seorsim a maribus in Ecclesia consistant Sacrae Concionis praesertim et Communionis tempore, Parochorum esto constanter retinere ubi viget, obsoletam revocare ubi exciderit, suaviter ac prudenter inducere ubi ignoretur. Moneantur etiam a Parochis mulieres praecipue ad *Viae Crucis* exercitium in angustis Ecclesiis ne nimium se loco moveant dum Sacerdos ab una ad aliam stationem pergit. Mendici per Ecclesiam stipem postulando vagari interdicantur.

VII. Altaria quaelibet, eorum sumptibus ad quos sive Beneficii, sive Patronatus nomine pertinent, aut si nemini obligatio incumbit, Ecclesiae aere instaurentur, et decenter ornentur, iisque etiam omnibus instruantur, quae ex Ecclesiae ritu sunt ad celebrandum necessaria. Munus suum Patroni fideliter quoad hoc adimpleant; alioquin post debitas monitiones iure suo privabuntur. Mensa a suppedaneo, seu praedella quatuor et viginti uncias emineat, sit longa saltem unciarum quadraginta, ad sexdecim circiter lata; suppedaneum, quod ex optimo ligno peroptamus factum, ad minus in latitudine sit vigintiquatuor, in longitudinem mensam altaris praetergrediatur. Lapis sacer ab altaris fronte tribus tantum pollicibus circiter distet: nulla in Altari subtus pateat fenestella aut foramen, ubi quidpiam asservari

possit, nisi forte sint Sanctorum Reliquiae; et mala consuetudo ibi recondendi oleum pro lampadibus exautoretur. Cancellis quoad fieri potest Altaria sepiantur, ut laici ipsis propius non accedant.

VIII. Unaquaeque Ecclesia, praesertim Parochialis Sacrarium seu Sacristiam habeat, in qua ea omnia tueantur, quae tum de Sacrificio Missae, tum de Legatis diximus. Silentii nomen exaratum legatur literis grandiusculis, quod nedum perperam expositum, sed ab omnibus servari mandamus, omissis verbis, quae necessario proferenda non sunt. In ipsa stent armaria ad sacra indumenta asservanda, et attente excubent animarum Rectores, Sacrariique Praefecti ne in uliginoso loco reponantur, ne sacra ornamenta putrescant, et corrumpantur.

In Sacristia praeter sacras supellectiles habeantur Missalia cum appendice Missarum, quae Dioecesi recens concessae sunt; liber insuper Choralis, et Rituale Romanum, et apertum semper in ipsa maneat Calendarium liturgicum.

Quod autem ad Ecclesiarum immunitatem attinet, cum omnia, quae hac de re oriri poterunt dissidia, per Summorum Pontificum Decretalia contemplata sint atque diremta, hinc ipsa addemus in huius Synodi appendice ut omnibus pateant, et ab omnibus obtemperetur (1).

X. AEquum est ut Ecclesiarum bona fideliter administrentur, et recte impendantur; hinc curent Parochi, ut unius vel alterius privatae administrationis arbitrio non relinquantur, ne permultis dicteriis locus fiat.

(1) Vid. Append. *Essendo pur troppo* etc.

CAPUT XXV.

De Funeribus et Sepulturis.

I. Pastoris pro Fidelibus suae charitati commissis sollicitudo, quae a die nativitatis incipit, non modo ad ipsorum obitum perseverat, sed et ultra sepulcrum est producenda. Divulsa enim ab humano corpore anima, utriusque curam gerendam tam Divinis Litteris, quam vetustissima traditione monemur.

Nam si ii etiam, qui infanda calamitate nihil unquam de corporum resurrectione aut audierant, aut cogitarant, mortuorum quamdam visi sunt curam observantiamque habuisse, quanto magis Nos, qui Fidelis animam Caelo inferendam, et corpus ab ea seiunctum rursus ei copulandum, atque cum Christo in aera rapiendum et iure credimus et speramus? Sacras igitur caeremonias et ritus ab Ecclesia in filiorum suorum exequiis praescriptos summa sedulitate servari satagant Parochi, et illos arcere, qui profanam, si ullibi fuerint, superstitionem redolere videantur.

II. Decessus signum et quidem moderatum, prius detur in Ecclesia Parochiali, ad quam defunctus pertinebat ante solis occasum, deinde in aliis locis, ubi quadam de causa suffragia fiunt. Septennio maiorum signum lugubre sit, et functio cum stola nigri coloris peragatur; septennio minorum signum festivo more pulsetur, et cum stola albi coloris functio absolvatur. Ubi de funere Sacerdotis ratio sit, quaedam fiat in campanarum signis distinctio.

III. Demortui cadaver donec insepultum remanserit, nunquam sine lumine relinquatur, nec sine eiusdem sexus custodibus. Ante horam ab obitu quartam supra vigesimam ne cadavera tumulentur, sub gravibus poenis. Si mulier ob partum, vel repentino casu quis e vivis excesserit nonnisi horis quadraginta

elapsis et etiam serius, si ita peritis videatur, sepultura donetur. Qui violenta morte occubuerint eorum corpora non antea efferantur, quam Parocho constiterit a laicalis Curiae ministris inspecta de more fuisse; haec autem inspectio in Ecclesia aut loco sacro neutiquam facienda.

IV. Cadavera domo levare in quamcumque demum Ecclesiam inferenda sint, ad Parochum pertinet. E domo ipsa, ubi quis naturae concessit, sollemniter efferendi cadavera optimam ducimus consuetudinem. Si vero domus ab oppidi vel pagi ambitu procul distet, et praecipue ubi coeno vel aquae viae corruptae reperiantur, neque pietatis, neque ulla Religionis specie illud a Pastoribus postulari potest, ut cadavera per longum iter comitentur. Itaque Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes decernimus, si certus constitutus est locus Ecclesiae vicinior unde funebri pompa eorum cadavera efferantur qui procul ab Ecclesia domicilium tenebant, consuetudinem esse servandam: ubi autem locus iste hactenus non est definitus, Parochus ad domum, quae quingentos passus non excedat a Parochiali Ecclesia, se conferat; secus cadaver privatim deferatur in aliquod agreste Sacellum, vel in aliquam aediculam, sive alium non incongruum locum prope oppidi aditum, atque inde Parochus cum Clero sacrum inchoet ritum, et funebris processionis initium de more faciat. Non antea cerei accendantur, quam Parochus vel eius vices gerens advenerit, neque nisi absolutis exequiis extinguantur. Ex urbe, vel de una ad aliam extra locum in Dioecesi Paroeciam ne efferantur cadavera sine Nostra expressa licentia.

V. Ad funus ducendum caeteris praeferantur Sacerdotes, qui in Parochiali ministerio adiutores sunt, inde qui Confessionibus excipiendis, et Catechesi populo tradenda incumbunt.

VI. Constituta hora a Parocho ad efferendum e domo cadaver, omnes ad funus vocati sive ex Clero etiam Regulari, sive ex Sodalitatibus, vestibus sibi competentibus induti in Ecclesiam

Parochialem sedulo conveniant (1), et precantes successive recto ordine una cum Parocho praecedant, et nulli liceat per viam aliis se comitem adiungere, vel prope defuncti domum praestolari; aliter nec taxatam stipem aut ceram accipiet, nec defuncti haeredes aliquid praestare tenentur. Sacerdotes et Clerici talari nigri coloris manicata veste ac superpelliceo induantur, Confratres autem sacco: pluviarum tempore tantum permittimus, ut Clerus galerum pro bireto gestet, et superpelliceo decens nigrum pallium imponat; quae, pallium scilicet et galerum extra hunc casum deferre etiam Confratribus prohibemus. Parochi deferent insuper stolam nigri coloris, vel etiam pluviale, quod in Sacerdotum funeribus semper esse adhibendum iniungimus.

VII. Parochorum esto horam pro funere indicere, et viam per quam processio dirigenda est, quae recta quoad fieri potest esse debet: in hora autem decernenda non suo tantum, sed et alieno commodo consulant Parochi; tum ipsa adveniente praesto esse studeant ne unquam aliorum longanimitate abutantur. Hora haec nunquam ante solis ortum, aut post occasum sine facultate Nostra decernatur, ne haeredibus quidem rogantibus, sed ita rem omnem disponant, ut saltem vix elapso horae dimidio post solis occasum, omnes iam absolutis exequiis comites funeris dimittantur. In itinere piae preces ex Rituali Rom. Ecclesiastico cantu concinantur, etiamsi forte gratis associatio fiat.

VIII. Ut nulla unquam exoriatur quaestio, sepulturae faciendae locus de iure est Ecclesia illa, in qua Divina audire Officia, Ecclesiastica recipere Sacramenta defunctus consuevit; si quis fortassis, et ex accidenti, vel quacumque alia causa extra territorium Paroeciae, in qua domicilium tenet, obierit, statuimus, ut nihil iuris competat Parocho loci, in quo decessit, si ex ipsius, vel haeredum voluntate cadaver sit ad propriam domum deferendum; dividenda vero aequis partibus emolumenta,

(1) S. Congreg. Episcop. et Regul. 21. Iulii 1645 et 16 Decemb. 1661.

si ibidem sepultura donari voluerint. Si hoc evenerit in Paroeciis eiusdem loci, serventur pacta conventa. Declaramus tamen si defunctus fuerit ex aliena Dioecesi id solum praestandum, cum idem omnino observatur in ipsa erga Nostros Dioecesanos; secus illius Parochi erit funus ducere, in cuius Paroecia diem extremum clauserit. Ubi aliquod cadaver e sua Paroecia ad feuda, vel obtenta facultate in aliquo alio familiari sepulcro condendum privatim transferri cupiant haeredes, integrum erit eidem Parocho emolumentum, ac si in propria Paroecia tumularetur, quamvis nullum ibi officium peragendum velint. In privata cadaveris translatione per rhedam facta, ratione transitus per alias Nostrae Dioecesis Paroecias, nihil solvendum erit; si autem publica sit cadaveris translatio, quarta Parochialis emolumenti pars cuique Parocho persolvetur.

IX. Graviter improbamus morem retinendi cadavera in Ecclesiis nocturno tempore, in quibus asservatur SS. Sacramentum. Ubi celebrari debeat postero die Missa praesente cadavere, tum die antecedenti expletis in Ecclesia precibus, nulla interposita mora cadaver in locum extra Ecclesiam, *Depositum* vocitant, reponatur eorum expensis, qui funeris emolumenta persolvunt, et ne ad Ecclesiam reportetur ante horam qua Missa erit celebranda; hac autem, et exequiis absolutis illico ab Ecclesia removeatur.

X. Quum aequitas et recta ratio postulet ministrantem Altari de Altari vivere, hinc emolumenta funerum ab haeredibus accipiant Parochi post peractum funerarium munus iuxta laudabilem cuiusque loci receptum morem, aut legitimas conventiones, quas observare iubentur. In emolumentis exigendis nec rigidiores, nec plus aequo sollicitos, nec negligentes se exhibeant. Caveant ne funus ducere renuant, aut ultra tempus differant ob dilatam solutionem sub gravibus poenis. Si quis vero pro arbitrio, vel malitiose fraudare debitum praesumeret, peracto funere, quod iure debetur, repetatur.

XI. Caveant animarum Curatores, ne quid emolumenti pro vere pauperum funere expetant; gratis enim associationis et sepulturae officium ipsis praestandum est, adhibitis saltem duobus cereis circa ipsum cadaver efferendis, vel alicuius piae Sodalitatis vel Parochi expensis. Imo cum antiquissimi sit Instituti ut quoad fieri potest, Missâ pro defuncto celebretur antequam sepulturae tradatur, idque Christiana suadeat pietas, hinc ut huiusmodi beneficio etiam egeni gaudeant, Parochi pro defuncto paupere Missam saltem lectam celebrare non omittant, et si ex eius bonis eleemosynam binae libellae Pedemontanae elici nequeat, neque a pio aliquo benefactore conferatur, desumi illa poterit ex loculo ad excipiendas pro defunctis eleemosynas in Parochialibus Ecclesiis destinato; qui loculus seu capsa erigi etiam poterit in unoquoque Dioecesis Hospitali, ut egenorum ibi decedentium animarum pari ratione consulatur. Caveant insuper Parochi ne pauperum cadavera efferantur, quin eorum corpus aliquo etiam discisso velo aut sudario operculetur; id enim pudori non minus quam charitati repugnat, ne paupertas qua miseri in hac vita laborarunt post mortem persequi atque adhuc illis esse dedecori videatur.

XII. Quoties tamen ignoti quam noti hominis cadaver secus viam vel alibi reperitur, nonnisi praehabita Iudicis disquisitione et assensu illud humo contegatur; eoque magis, si levis etiam insit suspicio non naturali morte occubuisse quod semper praesumere licet. Ut autem eiusdem nomini ac conditioni quo meliori fieri potest modo suppleatur, accurate describenda statura, apparens aetas, capillorum color, habitus, aliaque ad ignotos designandos adiuncta; nec silentio praetereunda si qua penes ipsum fuerint Catholicae Religionis argumenta. In dubio an ignotus Catholicam profiteatur Religionem, in eius favore iudicandum erit, et Ecclesiastica sepultura donandus. Caute se gerant Parochi in deneganda alicui Ecclesiastica sepultura, etiam cum agitur de publicis peccatoribus, et semper Episcopum consulant, ipsiusque mandata praestolentur.

XIII. Olim quisque poterat, vel ratione sepulcri gentilitii vel haereditarii, vel factae electionis sive in Parochiali, sive in alia Ecclesia tumulari: at quum prudentissima ex Regia nunc Lege cautum sit ut quibusdam tantum exceptis ibi expressis personis, omnes in Parochiali Coemeterio condantur, quod in omnibus locis extructum esse debet, sicque finis tandem impositus pluribus contestationibus; hinc proprius uniuscuiusque sepulturae locus generatim nunc est censendus Coemeterium Parochialis Ecclesiae, in cuius fines defunctus commoratur. Nullibi ergo (Episcopis tantum exceptis, Canonicis, Parochis, Regularibus, et Feudatariis atque Patronis Ecclesiarum Parochialium, qui in Ecclesiis sepeliri possunt) nisi in Parochiali Coemeterio fas erit in posterum defuncti corpus componere. Novi igitur tumuli quacumque in Ecclesia, sub poena immediati interdicti, minime efformentur. Ecclesiae quamvis patronatae pavimenta sub eadem poena absque speciali Nostra facultate, ne disrumpantur: nulli prominentes tumulorum per Ecclesiam lapides, sed solum coaequent: sepultis ibi ex privilegio cadaveribus nulla inscripta marmora Ecclesiae parietibus, columnis aut solo aptentur sine Nostra speciali licentia: muris etiam ne suspendantur caelata stemmata gentilitia, aliaque monumenta, Nobis inconsultis; latina lingua in hisce casibus erit utendum.

XIV. Coemeteria quae ubique excitata satisfactione Nostra conspeximus, cum loca vere sacra sint, et Ecclesiastica Benedictione donentur, decentiori quo liceat modo religiose servanda. Erunt proinde undiqueversum convenientis altitudinis muro septa ut brutis aditus omnino praecludatur. Ostium pessulis et clavi a Parocho vel alio probo viro delecto servanda obseretur: supra ostium Crux ferrea extollatur; itemque alia saltem lignea excelsa permanenter in medio emineat: ostium et fenestrae cancellis tantum claudantur, ut pio adspectu ad devotionem excitentur Fideles. Iuverit etiam Sacellum cum Altari ibidem aedificari, ubi pro defunctis Missae Sacrificium celebrari possit. Si

quae pariter stemmata vel inscriptiones ibi apponi peroptentur, ne id fiat absque Nostra in scriptis adprobatione. Parochi funeratoribus et vespillonibus indicant, ut sepulcrales foveas alte effodiant: invigilent ut locus ipse ab omni sorde, vepre, arbustoque saepe purgetur; non proscindatur ea terra, non colatur, nec vites nec arbores ponantur; si quae fuerint succidantur omnino, ibique cum herba succrescente marcescant, vel comburantur; nefas enim erit ipsa profanis usibus destinare, aut herbam bestiis in pastum obiectare, quod sub poena interdicti graviter prohibemus: nihil uno verbo in Coemeteriis fiat, quod eiusdem loci religiosae destinationi adversetur.

XV. Mandamus in Coemeteriis peculiare sepulcrum aut distinctum locum designari pro humandis Sacerdotibus, quemadmodum et aream distinctam pro sepeliendis pueris septennio minoribus. Infantes absque Baptismate vita functi loco non sacro sed clauso et prope locum sacrum tumulentur, nulloque adhibito funere: in dubio de collati valore Baptismi, in loco sacro sepeliantur. Quando vero moritur mater et cum ipsa infans in utero, idem habeant sepulcrum.

XVI. Parochi diligenter invigilent et curent, ut quae de Coemeteriis et sepulturis in Nostris literis diei 9 Iunii 1853 expressa leguntur, continenti robore omnino polleant, et impleantur.

CAPUT XXVI.

De Sacris Reliquiis et Imaginibus.

I. Sanctorum Reliquiae insignia sunt Fidei et Charitatis monumenta eorum, quos de aeterna salute tutos esse cognoscimus; sunt sanctae spei certissima pignora; sunt bene actae vitae decus

memorabile; sunt eius Templi partes, in quo Spiritus Sanctus mansionem olim fecit. Hinc Ecclesia perpetuo retento dogmate nos docet Sanctorum Reliquiis magnam venerationem esse impendendam, et imagines tum Christi tum Deiparae et Sanctorum in Templis habendas, eisque debitum honorem esse impertiendum, quia honos eisdem praestitus ad Archetypa et ad Deum refertur. Honoramus reliquias Martyrum, ut Eum, cuius sunt Martyres adoremus, inquit Hieronymus. Parochi igitur et Concionatores populum excitent ad Sanctorum Reliquias et Imagines venerandas, atque Ecclesiae doctrinam interdum hac de re tradant.

II. Fidelium venerationi illae dumtaxat Reliquiae proponantur, quae vel a Nobis vel ab Antecessoribus Nostris probatae fuere. Vetitum sciant Ecclesiarum Rectores, etiam Regularium aliquas exponere, quae utpote cuiusdam Praesulis sigillo munitae, authenticae aestimentur, nisi prius a Nobis recognitas potestatem dederimus exponendi (1).

Nil novitatis etiam Nobis insciis aggredi liceat, si quando Reliquias praeter consuetudinem processionaliter deferre ex aliqua causa placuerit. Quae dubiae fidei fuerint, nolumus quidem eas exponi; tamen a caeteris secretas decenti loco iubemus servari.

III. Sanctorum Reliquiae, nomine Ecclesiae retentae, in Templis asservari volumus, non in privata domo. Caveatur tamen ne Tabernaculum, in quo Altaris Sacramentum reconditur, sit sedes; sed armarium quoddam sit in uno vel altero Arae Maioris latere vel in alio illustri Ecclesiae loco, etiam in Sacrario, intus aut serico panno, aut quovis alio ornamenti genere vestitum, ibique Reliquiae reponantur, his inscriptis verbis *Reliquiae Sanctorum*. Gratulamur autem Capitulo Metropolitanae Nostrae Ecclesiae, quod in Sanctorum Cinerum hono-

(1) Conc. Trid. Sess. XXV. — S. Congr. 3. Iunii 1700. — Bened. XIV de Synod. Dioec. lib. 9. cap. 73 N. 3.

rem marmoream optimeque ornatam Aram aedificarit in hoc maiori Dioecesis Templo, ibique insignes quas possidet Reliquias publicae venerationi sisti mandarit.

In hisce armariis quae descripsimus, Reliquiarum thecae concludantur, quae si non ex pretiosa materia saltem ex ligno insculpto confectae sint, quibus sit auri, argentive color inductus, crystalloque pellucido ornatae, sed nunquam Ostensorii formam referentes.

IV. Si ex huiusmodi armariis extrahi capsulae debeant, ut super Altare solemniter exponantur, Sacerdos hoc sacrum ministerium peragat superpelliceo et stola indutus, nusquam vero laicus; thus adoleat, et duo saltem lumina nedum ante Sacerdotem transferentem deferantur, sed et super Altare continenter ardeant. Nunquam autem expositae remaneant in Altari una cum Augustissimo Sacramento, nec in processione sub umbella gerantur, exceptis tantum Sanctae Crucis Ligno, Sanctaque Spina Domini Nostri Iesu Christi, quemadmodum Ecclesiae legibus sancitum est (1).

V. Documenta Reliquiarum, quae authenticitatem audiunt, in Archivio Ecclesiae sedulo serventur; ipsorum insuper catalogus vernacula lingua conscriptus habeatur in singulis Ecclesiis apposito numero qui thecam designet Reliquias quasque continentem, eiusque exemplar Ecclesiae Rectores, ubi petierimus, ad Nos deferendum satagant.

VI. Ad sacras imagines sive sculptas sive pictas quod attinet, decenti et consueto modo et loco effingi et collocari mandamus. Quae nimia vetustate exesae, aut deformes evaserint, ni facile possint pristino nitori revocari, a publica Ecclesiae luce amoveantur. Excipimus eas quae insignis auctoris nota laudantur. Qua de re semper consulendi erimus etiamsi de earum restauratione ageretur. Quae autem habent speciem indecoram, aut

(1) Decr. Gen. S. Rit. Cong. adprob. et praecip. Leone XII 27 Maii 1826.

profanam venustatem modestiae legibus minime congruentem, vel risum movent, e conspectu subducantur, et in secreto sacro loco sepeliantur, vel igni corrumpendae tradantur, cineribus sub Ecclesiae pavimento repositis.

VII. Ut vero cuilibet erga sacras imagines irreverentiae occurratur, nusquam fas erit Crucis aut Crucifixi vel Sanctorum effigiem pingere aut caelare in pavimento, in tumulo, aliove loco qui transeuntium pedibus proteratur, aut in sordidis locis profanationi obnoxiis: ibi si quae sint penitus deleantur, vel inde in honestiores locos transferantur.

Qua quidem de causa vetitum declaramus imagines Sanctorum pro cauponae signo collocare.

VIII. Solas Sanctorum imagines, quos colendos proponit Ecclesia, oportet a Nobis coli, atque ea forma, eoque habitu, quo Sanctos eosdem Ecclesia Catholica vel pingere vel vestire ab antiquo tempore consuevit. Hinc meminerint omnes, minime exemptis Regularibus, Tridentini Decreto cautum esse, ne novae aut insolitae aut ignotae imagines in Ecclesiis exponantur, nisi Episcopi praeierit approbatio(1). Nova miracula ad sacras imagines patrata vulgare, atque uti germana certaque asserere, nemo audeat, nisi prius a Nobis accuratissima diligentia, tardaque investigatione fuerint rite confirmata. Populi hac de re conventum, occlusis mature Ecclesiae vel Capellae foribus prohibeant Parochi, donec mandata Nostra susceperint, ut turpe lucrum altissime arceatur, et Fidei contemptoribus calumniandae Ecclesiae occasio subtrahatur.

IX. Antequam aliqua imago publicae venerationi obiectetur, a Nobis in Civitate, et a Parochis in Dioecesi uti delegatis Nostris erit probanda, ac benedictione, iuxta praescriptum ritum donanda; Oblata, aut appensa Sanctorum imaginibus, aut Reliquiis cuiusve generis donaria vel eleemosynae, in Ecclesiae beneficium cedere debent.

(1) Cit. Sess. 25.

CAPUT XXVII.

De sanctorum dierum et Ieiunii observatione.

I. Neminem praeterire autumamus gravissimo praecepto quemque teneri ad diem festum sanctificandum.

Ipsamet naturae lex, ut ait Angelicus, aliquod tempus deputare videtur ad vacandum Divinis. Huc accedit divinum positivum mandatum olim Hebraicò populo traditum solemnibus verbis: *Memento ut diem Sabbati sanctifices:* quod praeceptum cum praescriptis Religionis Officiis, caeremoniali tantum parte immutata, ad Evangelicam Legem manasse omnes satis exploratum habent. Ad huius autem Divini praecepti satisfactionem, duo iubentur, videlicet vacare Deo, et servilibus operibus corporisque laboribus abstinere.

II. Ad Parochos itaque attinebit, populo significare dies festos, et ne quis excusationem aliquam praetendat se festos dies ignorasse, quotannis solemni Epiphaniae die inter Missarum solemnia, mobilia totius anni Festa denuncient, et singulis Dominicis diebus iterum populo memorent dies festos quos in hebdomada sanctificare oportuerit; pridie etiam ipsius diei festi, vespertinis horis aliquo campanae signo diei subsequentis solemnitatem in memoriam revocari iubeant.

III. Insuper Parochi, quo zelo flagrant, summam festi sanctificandi rationem proponant: doceant colendum esse Deum non externis tantum, sed et internis actibus; totamque doctrinam hac de re ex aureo Catechismi Rom. libro haurire poterunt. Ostendant non satis consecratum Deo diem, si soli Missae fideles intersint atque a servilibus operibus abstineant, ut otio eo magis indulgeatur, sed quum alia praeterea bona opera, v. g. Divinis officiis assistentiam et concionibus, Sacramentorum participationem et similia praestiterint.

IV. Vehementiori zelo carpant Parochi eos qui illis diebus quibus Deum impensius colere deberent, in ludos, in ebrietates, in saltationes ruunt. Et hoc praecipue agant ubi Patroni Festum nundinis, choreis, Ethnicorum more, deturpare non cessant incolae, et quandoque sub detestabilis pietatis specie, certo scilicet persoluto in Ecclesiae utilitatem aut purgantium Animarum suffragium pretio. Tam execrandos abusus odimus, damnamus, et quod offertur repudiandum mandamus.

V. Et quia Ecclesia suos sanctis assignavit dies, peculiaresque statuit ritus, quos immutare non licet, noverint animarum Moderatores, Titularium, aut Patronorum festa suis propriis esse celebranda diebus.

VI. Ne permittant Parochi speciatim Divinorum officiorum tempore choreas, larvas, ludos publicos, histrionum actiones, praestigiatorum et ungentariorum iocos, clamores, strepitus ante vel prope Ecclesiam, prout et Regiis sanctionibus vetitum est. Saepius e suggestu inclament contra vitium compotationis in tabernis festivo praesertim tempore, et horis Divinorum officiorum: ad id mali extirpandum confidimus etiam in Magistratibus laicis et Iudicibus per Dioecesim constitutis, qui id exequi iubentur, quod in Regiis Legibus creberrime sancitum est de tabernariis, de compotationibus et compotatoribus, festo die, mero se ingurgitantibus.

Conductoribus quoque qui plaustra sabbato data opera onerantes, ut primo diei Dominicae vel Festi alicuius diluculo discedant, vel domum revertantur, aliisque Festorum violatoribus sapientissime consultum est per Magistratuum scita (1), Nobisque pollicemur debitae executioni, ab illis quos interest, efficaciter iri demandatum.

VII. Conentur Parochi, Fideles dehortari ab iis potissimum operibus servilibus, quae palam exerceri sine scandalo nequeunt,

(1) RR. CC. lib. I. tit. I. sess. 4. et seq. — Reg. Edict. 9 Decemb. 1818. Manifest. Senat. 28. Maii 1822.

uti fruges terrae, aut merces publice vehere, officinas apertas tenere, triticeas spicas in agris colligere, etiam pro Ecclesiis, nisi comperta Ecclesiae alicuius indigentia duxerimus dispensandum. Vocem suam exaltent contra eos, qui quasi nulla esset statuendis pactionibus Dominica die aptior, negotia omnia in hanc diem congerunt, conductis operariis de mercede convenitur, pacta firmantur, supputationes fiunt, vicissim debita exiguntur, redimuntur sine ulla necessitate. Dantur corpori hebdomadae, detur animae dies.

VIII. Etsi autem festis diebus omne servile opus inhibeatur, quia mentem nostram a Divino cultu avertit, consuevit tamen pia mater Ecclesia huiusmodi praecepti rigorem temperare, ut legi cederet necessitatis, charitatis aut pietatis. In hac porro causa discernenda nemo sit, qui se ipsum iudicem faciat, sed causae cognitio Ecclesiastico Superiori reservatur. Propterea in hac Urbe Nos aut Vicarium Nostrum Generalem conveniant: in Pagis autem, atque Oppidis Vicarium Foraneum, ubi est constitutus, vel Parochum adeant, et ipsius iudicio quisque acquiescat. Pastores vero, quos in hac parte Vicarios Nostros constituimus ipsorum conscientiam onerando, cum fuerint a Parochianis rogati, serio recogitent se dispensatores et fideles ministros esse debere, qui nequeunt nulla, aut levi proposita causa operum servilium permittendorum auctoritatem sibi arrogare; caveant etiam ne ad arbitrium negent aut annuant, sed rem optime perpendant. Vicarii Foranei, et Parochi soli id possint: ac propterea neque Confessarii caeteri erga poenitentes, neque Regulares erga laicos hanc sibi potestatem vindicare audeant.

IX. Ex antiquiori usu plura vendi atque emi permittit Ecclesia diebus festis, licet haec servilium operum conditionem imitentur. Ea sunt, quae ad diurnum victum aut usum necessaria censentur, et ab olitoribus veneunt, a pistoribus, salsamentariis, laniis, aut alio quovis esculentorum venditore. Haec omnia horis dumtaxat matutinis ante Divina officia, pomeridia-

nis post Vesperas absolutas, facta est venia distribuendi. Optamus tamen et Fideles singulos rogamus ut die festum praeeunte ea sibi quoad fieri potest, comparent, quae ad sequentis diei victum necessaria arbitrantur.

X. Ad festorum celebritatem ieiunia sancta nos praeparant: de ipsorum igitur dignitate et utilitate aliquo ante Quadragesimam festo die apposite sermonem ad populum habeant Pastores, simulque ipsum doceant quo ciborum delectu, qua parsimonia, qua vitae ratione observandum sit ieiunium: moneant adolescentes, ubi primum rationis usum adepti sint, a cibis vetitis ieiuniorum tempore iis esse abstinendum, et maturo tempore assuescere debere, ut carnis cupiditates moderari facilius valeant.

XI. Dominico die ieiunium aliquod praecedente, hoc Párochi populo praenuncient, parentes ac dominos commonentes, ut soboli et famulis verbo et exemplo auctores sint servandi ieiunii; et insuper vespere praecedenti post datum signum Salutationis Angelicae, alterum quoque campanae signum per aliquod temporis spatium detur ad significandum ieiunium sequenti die servandum, excepto Quadragesimae tempore.

XII. Et quoniam quaestiones haud parvi momenti circa ieiunium resecate sint a Benedicto XIV, ideo animarum Curatores Apostolicas Literas(1) hac de re editas probe calleant, et ipsarum summa capita Christiano populo explanent, ut omnes qua semita incedendum agnoscant; illosque commonefaciant praesertim qui ieiunii diebus iusta de causa Medici et Ecclesiae iudicio probata, aut occasione Indulti carnibus utuntur, teneri, et ieiunii et unicae comestionis lege, iisque interdici etiam Dominicis per Quadragesimam carne et piscibus promiscue mensam instruere. Medicos quoque tanquam Ecclesiae Catholicae

(1) Incip. *Non ambigimus* 30 Maii 1741. -- *In suprema* 22 Aug. 1741. -- *Si fraternitas* 8 Iul. 1744.

filios monitos peroptamus, ieiunium animabus, corporibusque curandis salubriter institutum esse, ac propterea pro dispensatione a ieiunio et esu carnium obtinenda, veram iustamque causam semper requiri, et confidimus ipsos non temere et indiscriminatim cum propriae et alienae conscientiae detrimento nimis indulgentes futuros.

XIII. Tandem abusum illum satis deflere nequimus, quo ex Christianis caupones quamplurimos diebus vetitis, aliorum intemperantiae pessimum morem gerentes, viatoribus, hospitibus, cuicumque denique adventanti statim mensam ex carnibus ministrant, et crebro etiam non petentibus. Parochi igitur contra ipsos saepe conquerantur, et e suggestu contra ipsos clament, nunquam ipsis licere, seclusa necessitate, aut legitima dispensatione diebus vetitis carnes porrigere, quin et aliorum peccatorum participes efficiantur, et Dei et Ecclesiae iudicium sint misere subituri.

CAPUT XXVIII.

De Usuris.

I. Inter teterrimas humanae societatis labes, inter deformitates et opprobria, quibus Charitas, Religio et humanitas uno tempore deturpantur, immane usurae vitium est in primis connumerandum. Nihil turpius, nihil crudelius hac pestilenti cupidine, quae omnino ad subruenda Christianae fraternitatis fundamenta, ad dissocianda vincula, quibus aliis alii in Christo Domino homines iunguntur, inrefraenabili impetu diu noctuque angitur et defatigatur. Huius mater avaritia est, quam Idolorum servitutem non semel appellat Apostolus, causam defectionis a Fide, malorum omnium fontem ac adiutricem. Etsi autem tam

exitiosum sit huiusmodi malum, et a Divinis humanisque Legibus improbatum et proscriptum, tamen ita mentes a pecuniae amore hallucinantur, ut fere commune excidium evaserit. Etenim quamquam usura in mutuo proprio posita sit, non in sola tamen expressaque pecuniarum aliarumque rerum, quas alteri damus, metiendo, appendendo, datione consistit; sed in plures etiam se contractus irrepit, eosque tineae instar vitiat intus, deformat, atque corrumpit. Quis a iusta indignatione temperet durissimos inspiciendo exactores alienis ditescere, pauperes bonis suis denudare, et ad supremam egestatem adigere, et propriae animae certam iacturam scientes facere? Certe si iniqui foeneratores istiusmodi, ita contractus describerent ut ii se habent, minus conquereremur: Magistratus enim pro iustitia et Sanctarum Legum tuitione non solum eos rescinderet, sed et toto poenarum pondere in usurarios inflictarum animadverteret, et malam radicem funditus extirparet. At saepe in fraudem legum uno modo pactio verbis conflatur, et altero tabulae conficiuntur, perinde ac si legitimus initus fuisset contractus.

II. Urgemus igitur animarum Rectores, ut sive publice sive privatim contra huiusmodi nefarios bonae fidei hostes insurgant, et erecto animo, Sacrorum Canonum et probatorum Theologorum sententiis freti, talium contractuum turpitudinem, et iniquam fallaciam ob omnium oculos ponant, et nefariam consuetudinem penitus delere satagant. Ad secernendos vero licitos ab usurariis contractibus, tum ipsos Pastores, tum Confessarios omnes acriter hortamur, ut regulas hauriant sive a Summis Pontificibus, sive a sapientioribus optimisque Auctoribus elucubratas.

III. Quum autem sub iudice adhuc lis sit, et in utramque partem probatissimi viri disputent in definiendo, quando in mutuo aliquid moderatum ultra sortem exigi fas sit, Confessarios omnes utriusque Cleri monemus, ut in conscientiarum regimine Encyclicae Bened. XIV *Vix pervenit* se conforment, et responsis pluries super hoc editis a Sacr. Poenitentiaria, praeci-

pue illis, quae a Summo Pontifice adprobantur, et quae ut omnibus pateant ad calcem in appendice subiiciemus(1).

IV. Verbi Dei Praecones, Pastores et Confessarii, arrepta occasione exagitare non praetermittant clandestinas iniquorum conspirationes, qui magno aliorum damno efficiunt, ut quaedam rerum et annonae genera vel pluris non emantur, vel minoris non veneant, vel alia quavis scelesta ratione monopolia, ut aiunt, exercere absque ullo pudore consuescunt. Clament, uno verbo, contra omnes usurarias pactiones, contra illas in quibus non servatur inter paciscentes aequitas, et utilitatis, et detrimenti paritas; et hisce immanibus societatis hostibus ante oculos sistant strictam restituendi obligationem, poenas insuper in usurarios tam Civili, quam Canonico iure latas; et nomine usurarii manifesti et notorii, cuius infamia inurentur, et irregulares evadent, confundantur et erubescant.

Hosce occultos et impunes grassatores ab Altaris communione exturbent, absolutionis beneficium iis non impertiantur, nisi male parta restituerint, vel interposita cautione se restituturos spoponderint: ac si in peccato suo decesserint, Ecclesiasticae sepulturae iacturam patiantur. Huiusmodi poenae contra publicos usurarum sectatores iamdiu promulgatae fuerunt et vigent: aliae et in aeternum duraturae ab ultoris Dei iudicio contumaces manent.

CAPUT XXIX.
De Foro Iudiciali.

I. Illud prae caeteris in Foro Nostro maxime exposcit Pastorale officium, ut unicuique quod suum est tribuatur, omni posthabita personarum acceptione. In iudiciis igitur a Tribunali

(1) Vid. Append.

Nostro Episcopali exercendis, ordo et modus servetur, quem Sacri Canones et Apostolicae praescribunt Constitutiones, et Curiae Nostrae Officiales illud semper prae oculis habeant Beati Amedei, cuius cineres hic veneramur, monitum: *Facite iudicium et iustitiam, et diligite pauperes.*

II. Volumus autem, ut iuxta Tridentini praeceptum, nimia diuturnitate non languescant causae, sed quanta fieri poterit celeritate dirimantur; praecipue quae summarie tractandae sunt, atque hoc modo tractandas iubemus causas quae minoris sunt momenti, aut quae valorem quadraginta libellarum minime excedunt; istae sine scripto, ordinatione excepta, et de plano, ut aiunt, sola rei veritate perspecta definiantur. In reliquis quae formales appellari solent, habitis debitis discussionibus, omnibusque perpensis, illae removeantur cavillationes, artes ingeniosae, seu aucupatoriae dilationes tam in litis contestatione, quam in alia iudicii parte, quae litibus protrahendis et non iuri explicando inserviunt.

III. Ne pauperes adversariorum potentiam reformident, iis dedimus in Tribunali Nostro Advocatum, ut miserabiles opportunam reperiant defensionem. Ne autem pauperi faventes alios damno afficiamus, nisi pauperis causa iustitiae indicia exhibeat tali beneficio non fruatur.

IV. Absint a loco Audientiae vel Cancellariae, aut in actis scripto traditis, contumeliae, dicacitates, quae omnia uno modo viros honestos et Tribunalis reverentiam dedecent. Procuratores, qui convicia protulerint, si moniti non resipiscant, a Foro arceantur, neque illis pateat regressus nisi veniam obtinuerint. Quapropter comparitionum memorialia antequam in acta referantur, atque adversario communicentur, ab iis quibus in Tribunali ordo et forma custodienda demandatur, perlegantur, et si quid inde indecorum deprehenderint, Procuratori statim emendandae remittantur.

V. Oblatus ab Actore libellus diligenter perpendetur, an cau-

sam praeseferat a Tribunali Nostro dignoscendam, ne actor et reus grave inde subeant dispendium. Quare Pontificiam Instructionem Benedicti XIV et eiusdem Pontificis Apostolicas Literas *Ad militantis Ecclesiae* frequenter Officiales lectitent: et quibus in causis admitti nec ne debeat appellatio suspensiva, colligant ex eadem, et alia eiusdem Pontificis Constitut. incip. *Dei miseratione* (1).

VI. Ferias quod attinet, et taxam pro omnibus Fori Nostri iurisdictionis actibus, serventur quae iam in usu venerunt, et propatulo ipsarum catalogus in Cancellaria cuivis obiectatus exponatur.

CAPUT ULTIMUM.

De Synodalium Constitutionum observatione.

I. Quum iuxta temporum adiuncta interdum referat aliquid in statutis immutari, hinc in suo robore permanentibus Synodalibus Praedecessorum Nostrorum praeceptis quae hisce Nostris contraria non sunt, revocatis tamen censuris, hasce in auspicatissimis totius Cleri Comitiis habitas Constitutiones elucubrandas curavimus, ut quiquid pro morum reformatione, pro disciplinae Ecclesiasticae restauratione, pro recto Dioeceseos regimine optimum duximus, unusquisque uno oculorum coniectu intueatur. Quae omnia sicut firma et rata haberi volumus et mandamus ab omnibus et singulis, quorum interest, servari; ita ipsa declarandi, interpretandi, ipsisque derogandi prout temporum ratio postulabit, Nobis semper erit integra facultas.

(1) 3 Novemb. 1741.

II. Cum Nobis in animo inductum sit agendum esse cum ingenuis Viris numerisque omnibus absolutis quos recta ratio et munerum suorum conscientia potius quam aculeus in officio cohibeat, ad singula praecepta certam poenam in transgressores minime proposuimus, ut boni secum bene agi noverint, mali vero, si qui essent, iure graviorem quam expectent, sibi esse irrogandam vererentur: ubi enim nulla constituta est poena, patet ipsa ad Episcopi arbitrium.

III. Omnes idcirco Sacerdotes, quocumque donentur nomine, Beneficiati, Clerici, Sacris Ordinibus praecipue initiati, Ecclesiarum Parochialium Administratores, et Sodalitates hanc Synodum sibi comparent habendam duorum mensium spatio cum typis cusa, mandantibus Nobis, fuerit evulgata; unius aurei non obsequentibus mulcta proposita, recentis Pauperum Hospitii beneficio convertendi. Singulas praeterea harum Constitutionum edicimus intra quatuor pariter menses suo quasque robore pollere, ex quo tempore ipsae evolvi atque animo percipi possint, ut nullus exinde ignorantiae praetextus aut species insimuletur. Harum etiam exemplar perpetuo asservandum iubemus in Metropolitanae Archiviis, Collegiatarum, Ecclesiarum omnium Parochialium et Confraternitatum, ut data occasione, Dioecesanarum Legum Codex continuo et extempore reperiatur.

IV. Vicarii Foranei et Parochi praesertim, Synodalium Decretorum lectioni sedulo incumbant, illis adhaereant, ipsa tueantur, absque ulla vel minima immutatione aut imminutione; apud Clerum et populum verbis impense et exemplo ipsarum observantiam promoveant, ac viriliter prout ipsis praecipimus, repetant. Arrepta opportunitate, super Decretis in Synodo conclusis omnes quorum intererit erudiant, Ecclesiaeque mentem et scita, explicatione depromant. Quos inobsequentes, dictoque minime audientes deprehenderint, humane et salutaribus verbis corripiant; pertinaces, quacumque postbabita ratione, ad Nos fideliter et illico deferant, ne illi alienorum peccatorum participes, Nos tanquam veterni, segnitiae arcessamur.

V. Pro ea quam Apostolicae Sedi, veritatis Columnae, Catholicae unitatis Centro, caeterarum Ecclesiarum Matri ac Magistrae, debemus ac profitemur obedientia ac reverentia, cuncta quae in hac prima Nostra Dioecesana Synodo Nobis visa sunt coram Domino decernenda, et quae proposita ac promulgata fuerunt, Romani Pontificis, Beati Petri successoris, ac in terris Christi Vicarii auctoritati sincero humilique cordis affectu subiicimus, supremo Christianitatis Oraculo continenter obtemperaturi.

DE SOLVENDO CATHEDRATICO

Quod argumento honoris et obsequii Cathedrae Episcopali exhibendum est Cathedratici nomine a singulis Parochis Clericisque Beneficium Ecclesiasticum habentibus, prout Ecclesiasticis Legibus cautum est, quamvis iure Nostro illud exigere possemus, tamen eisdem remittimus; et quum de eo iure agatur, quod praescribi non potest, declaramus nihil omnino detractum esse iuri Nostro et Successorum Nostrorum, et neminem ex iis qui ad illud tenentur liberum imposterum esse a praestatione Cathedratici.

Vercellis die 7. Iunii 1842.

✠ **ALEXANDER ARCHIEP.**

Can. PASTORIS *Cancellarius.*

ORATIO

Habita die prima Synodi ab Ill.mo et Rev.mo Th. IACOBO MARIA GAYS *Can.° Archip.° Metropolitano, Rectore Ven. Seminarii, et Equite Ss. Mauritii et Lazari.*

Dum mihi nutui tuo, Excellentissime Archipraesul, Pontifex amplissime, libenti equidem, trepidanti tamen animo, obsequenti, conspectum tuum, totque gravissimorum Patrum, et ob egregias virtutes, et decora clarissimorum virorum coetum adire hodie datur;

Cum tam laetam huiusce templi maiestatem praeclara undique ornamentorum specie fulgentem conspicio; cum tot fidelium huc convenientium frequentiam, ore vultuque pietatem referentem, hanc non alias visam solemnitatem conspecturam; dum docti quilibet piique omnes, ferventibus undique itineribus, glomerantur, quo tanto hominumque rerumque apparatu gaudeant, miror; et quae tandem et quanta emolumenta, uberesque ad Dei gloriam fructus prodituri sint, auspicor, ineffabili laetitia motus exclamare cogor, vere nunc etiam hic compleri, quae olim vaticinatus est Aggaeus: *magna erit gloria domus istius novissimae plusquam primae.*

Novimus sane ex Sacrorum Bibliorum oraculo, Religionem caelesti comitante gloria mysticum Moysis Tabernaculum olim ingressam sacrificiorum, rituum, ac oblationum apparatibus fulsisse: atque firmiorem postea nobiliorêmque nactam sedem, extructo inter artium prodigia, omnimodasque magnificentias ab Salomone templo, Divinae originis suae maiestatem ostendisse didicimus.

At quam humilia, parvique momenti haec omnia, quam decolor illa species, et pulchritudo, quantum dignitate, et sanctitate minora sacra illa apparuere, quum omnibus gentibus, Desiderato adventante, novum Domino templum ad ineffabilia, quae ipse instituerat, mysteria celebranda aedificare licuit: itaque sicuti antedictis verbis Iudaeos e captivitate reduces solabatur Prophèta, quum templum ductu Zorobabelis extructum, tanquam Salomonico magnificentia minus dolebant, ipsum priori splendidius ob maiorem sanctitatem futurum fore praedicans, sic Divino afflatus Spiritu nobis futurum itidem fore ut eveniret sanctus Vates praemonebat, felicique omine evenit.

Cuique enim optime patet arcana, ritusque, qui in Iudaico templo conficiebantur, omni virtute caruisse, neque ad ullos fructus gratiae gignendos pares, sed unice ad excitandam fidem, atque ad praeparandos animos, quo digniori corde venturus Mediator reciperetur, fuisse accommodatos. Vetera illa Sacramenta symbola erant; sacrificia imagines; templum configuratio; ipsumque Sacerdotium nihil aliud, nisi typus admirandi illius sacrificii, cuius virtute omnia, quae praecesserant, piacula evanescere debebant, quodque ab Unigenito Dei Filio tandem et solummodo peractum, et pro totius generis humani salute oblatum inenarrabili pretio donandum erat. Symbola erant eorum munerum, quae in Catholica Ecclesia, cuius ore et ministerio sublimiora caelestis Religionis oracula non antea humanis auribus audita profluunt, exercenda forent, quibus immortale Redemptionis beneficium humano generi impertiretur.

Ex his arguere licet qualis virtus sit magni illius Sacrificii tot portentosis modis adumbrati; simulque quanta sit dignitas illorum, quibus ab ipso Divino Sacerdote, et victima facultas tributa fuit illud in templis nostris perpetuo instituendi, ac caetera perficiendi ex Christi Servatoris voluntate ad aeternam populorum redemptorum felicitatem comparandam.

At quum tanta illa dignitate insignitos, illa Divina pollen-

tes auctoritate, Te, Excellentissime Archipraesul, vos Canonici, Parochi, Beneficiarii, Sacerdotes omnes sive ex saeculari, sive ex regulari Clero omnes vos Unigeniti Filii Dei administros conspiciam, admiratione praegrandi perculsus oculos ad vos converto, animum mentemque in vobis sisto, supernoque lumine ductus, meque maior factus, iucundissimo vestro adspectu fruor, venerabilisque coetus insueta frequentia praemonitus facile statimque edoceor quae tam solemnis huius conventus sit dignitas, qui finis, et quae utilitates tantam illustrium Vercellensium ingeniorum coegerint multitudinem.

Placeat ergo Vobis, Patres praestantissimi, ut haec paulisper expendamus: nam si bene evenerit conatuique meo et voto res cesserit primum hunc comitiorum diem feliciter auguratoque incoeptum esse confido.

Vocatus, ut iam innui, non alia ratione, nisi ob duplex, ut puto, quo fungor officio et honore, firma in animis mens est, Patres amantissimi, vos pro singulari humanitate vestra molliter excepturos, si non satis digna loco, digna tempore, vobisque proferre mihi contingat.

Absoluta temporum periodo, quam post novi templi decus veterem Salomonici gloriam superare debebat, completaque dierum plenitudine Prophetarum ore praenumtiata, Unigenitus Dei Filius e Patris sinu descendens terram petiit, Verbum caro factum; eius nativitatem miracula comitantur; vita prodigiis illustratur; doctrinaeque sanctitatem Evangelii infinita sapientia testatur: vocatis deinde viris, quibus verborum suorum thesaurum crederet, quique prodigiorum suorum testes essent, Ecclesiae fundamenta iecit.

Exiguum electorum gregem alloquens post sui oblationem moriendo peractam ipsis novae vitae arcana aperit, sanctisque legibus, quarum ad normam spirituale regnum administrari iusserat, magna quadraginta dierum spatio addita et revelata sunt

Sacramenta. Iteratis tandem Divinis illis omnipotentibusque verbis *sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, in vultum sufflans sic eos affatur: *Accipite Spiritum Sanctum. Qui vos audit, me audit. Docete omnes gentes baptizantes, et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*, ad caelum redit. Quibus verbis aliisque similibus, iussis, et promissis Apostolos instituit, statuitque Magistros, Pastores, atque Rectores illorum omnium, qui in se credidissent, eosque Divino mandato munivit, ut omnes gentes Ecclesiae suae filios nuncuparent.

Mosaicis ergo ritibus exauctoratis, ex eorum ruinis Religionem suam extulit Sacerdotium perpetuo duraturum instituens, e cuius institutione, et praecepto instituti ab Apostolis sunt Episcopi in Ecclesiis, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes; et Episcoporum ordo ad gignendos Patres praecipue pertinet: huius enim est Patrum in Ecclesia propagatio. Inde per temporum et successionum vices Episcoporum ordinatio, et Ecclesiae duratio decurrit.

Super Apostolos Petrus universalis Ecclesiae Pastor renuntiatus: hinc Petro datur primatus, ut una Christi Ecclesia et cathedra monstretur. Bono unitatis siquidem Petrus et praeferri Apostolis omnibus meruit, et claves regni caelorum communicandas caeteris solus accepit. Atque ita Ecclesia, quae una est et super unum, qui claves eius accepit, Domini voce fundata est.

Agnoscitis, sapientissimi viri, istas antiquiorum Ecclesiae Doctorum voces, quas persequor, quaeque Hierarchicum ordinem a Christo ostendunt sub capite Petri institutum.

Admirabilis ergo huius novi foederis Sacerdotii oeconomia, quum opus ipsius Dei sit, originis suae claritatem referre debebat; atque huic Hierarchico ordini vere mirando, uti iampridem Apostolis, altissimum Redemptionis munus perennandi commissum est.

Grande hoc beneficium duobus modis, ut quisque tenet, potissimum conficitur, docendo scilicet fidei veritates, et attri-

buendo sacrosanctorum rituum, quos ipse instituerat, quique ad fidem spectant, ope, infinita Christi merita; et deinde leges sanciendo ad Divini cultus splendorem amplificandum, et ad fidelium sanctificationem promovendam prout temporum adiuncta, res, hominesque poscere viderentur.

Fides cum e Dei sinu emanet Divinorumque operum manifestatio sit, pandatque omnia, quae nobis revelare placuit, una esse debet, sicut una est veritas, unaque doctrina, quam Unigenitus ipsius Filius edocuit, ac confirmavit. Unde aiebat Augustinus: *Unitas Fidei, et Religionis est ipsa inmutabilis veritas, simplex, indivisibilis, aeterna, et licet multae veritates, ut sunt multi radii solis, unum tamen est lumen.*

Maxime ergo nobis laetandum est in ea, quae Apostoli tradidere, credentibus, quippequi in eiusdem fidei, et doctrinae unitate manentes unitatem capitis a Christo constituti profitemur. Neque unquam in Ecclesia hoc alicui vicissitudini obnoxium fuit, sed Dei auxilio, quo ipsa unice donata est, immutabile mansit, manetque in aevum duraturum.

At non eodem modo, quod praecipue hic iuvat observare, censendum est, neque eadem firmitate habendae sunt leges, quae de fidelibus recte instituendis, ac de Ecclesiasticis disciplinis consulunt. Nam licet constituta firmiter Ecclesia sit, ob varios tamen humanae societatis eventus, mutatis multoties rebus, nonnulla ex his, quae prius invaluerant, moderari; nonnulla, quae obsoleverant, renovare, et aliqua tandem abrogare necesse fuit. Non aliter quam de diversarum gentium institutis accidere solet, quae etsi ad iustitiae, et aequitatis normas populorumque bonum conflata sint, Principum nihilominus sapientia moderantur, mutanturque, prout publica privataque commoda, accrescentes in diem necessitates, auctusque scientiarum, et artium census deposcunt. Ita etsi Ecclesiae dictamina ipsius mentem semper referant, aliquando tamen illa rebus accommodare et saepe instaurare oportet: recens enim vel conditae

vel renovatae leges animos acrius percellunt, ac movent; et praeterea quis est, quem lateat eam esse rerum humanarum conditionem, ut in deterius paullatim ruant, nisi crebro reparentur, atque eam esse pariter hominis naturam, ut ad laborem, ad magna, et ad immortalia sit frequenter excitandus.

Honorificentissimum et quaquaversus utilissimum hoc opus sibi a Christo concreditum implendum suscepit, implevitque omni tempore Ecclesia, Summique Pontifices, et Episcopi.

Atque in primis Apostolorum more conventus pro re nata Ecclesiam universam, ac falli nesciam referentes indicti fuere, ut credendarum rerum auctoritas sanciretur, veritas aperiretur, propulsarentur errores, et qui certissima, ac nulli dubitationi obnoxia oracula sperneret proscriberetur: tum ut leges omnium fidelium necessitatibus ferrent accomodatas.

Huic exemplo innixi Romani Pontifices Petri successores, quibus datum divinitus est Dei nomine fari, controversias Fidei dirimuere, erroribus, errantibusque damnatis, et quoties ardua negotia, compositu que difficiliora extiterunt, ipsorum iudicio commissa sunt, et tamquam de re acta, loquente Roma, conticuere omnes: deinde leges, quae Pastores et Fideles obstringerent, tulere omni tempore imitanda sapientia refertas.

Ita denique Episcopi in singulis Dioecesibus in primis ad Fidei puritatem servandam vigilanter, et constanti animo incubuere; atque in ipsorum Synodis praesertim proponitur Fides, eius necessitas inculcatur; praecipitur Parochis, aliisque eam integre populos docere, ac maxime quae stricte cunctis sunt credenda, quaeque circa Sacramentorum naturam, dignitatem, necessitatem, utilem ac fructuosam administrationem versantur: imo Fidei professionem, quam Pius IV edidit, omnes iurare debent, et solemni voce renovare.

Quam multa vero ad privatorum mores, et publicos corrigendos, ad Ecclesiasticam disciplinam servandam in Synodis renovantur, praecipiuntur.

Unde Colonienses Patres Synodalia Concilia appellarunt salutem Ecclesiae, Catholicae Fidei stabilimentum, et totius corporis nervos, atque compages. Haec Patrum Coloniensium sententia luce meridiana clarior fiet si, aliis omissis, ea tantummodo in medium proferre licebit, quae Divus Carolus iam Metropolita noster suae, et sequentium aetatum decus Mediolanensi Ecclesiae Divinitus datus emolumenta obtinuit Synodos convocando: adeo enim pientissimis conatibus feliciter effectus consonuere, ut paucorum annorum spatio ad sanctitatis mirabile fastigium Ecclesiam sibi commissam evexerit. Neque Mediolanensi tantummodo Ecclesiae Sanctissimi viri egregiae constitutiones profuere, sed, vulgata earum sapientia, finitimae, exteraeque gentes alacriter illud magni pretii munus suscepere, firmiterque retinuere.

Vobis, Amplissimi Patres, mihique hoc magnum Ecclesiae magisterium rapide expendenti, ac officia, modumque enuncianti, quo ea complet, iam profecto innotuit, quo tendat hic solemnis conventus, perspectumque optime habetis, egregium Archipraesulem nostrum aliis beneficiis, quibus incessanter nos cumulavit, novum hoc adiungere velle, suum idest Pastorale munus hoc insigni documento nobilitare atque perficere.

Et sane gregis sibi commissi saluti in Domino consulens Dioecesim rite lustrarat, itinerum difficultates, aestus intemperantiam, collium asperitatem, omnimodaque laborum incomoda spernens, nullis periculis deterritus, ut sancto hoc et Apostolico munere fungeretur. Quanta autem comitate, qua oris dulcedine hos alloquio, alios consilio, istos hortationibus, illos laudibus iuvaret, omnesque bonitate exceperit vos testes advoco. Iamque laetatus, quod ubique locorum Dei cultus, firmaque in Christo fides, et pietas sedulitatis vestrae ope, Pastores optimi, in honore haberentur, exantlati laboris primitiis fruebatur.

Restabat hoc alterum perficiendum: scilicet probe noscens inter praecipua pastoralis regiminis munia principem locum sibi

vindicare ea, quae in Synodis statuuntur, eodem sanctae sollicitudinis spiritu permotus, quo solemnem praestantium Patrum conventum habuit, quum Alexandrinam regeret Ecclesiam, hic inter nos animum ad Synodalia comitia celebranda convertit.

Magnum iampridem opus ad fidem specialiter spectans adgressus fuerat, ad fidem inquam, quae quamvis, uti superius innuimus, una immutabilisque sit, variis tamen modis exponitur, traditurque: hinc fieri potest, ut ex diverso verborum usu, ex variata rerum collocatione confusio aliquibus oriri possit, et suspicio afferatur rudioribus, aliisque variari immutabilia Fidei dogmata, aut saltem, ut in docendis iisdem Fidei veritatibus, sed varie enunciatis, impedimenta enasci possint.

Hisce incommodis mederi cupiens experientia edoctus Excellentissimus Archipraesul nitidam, et claram Fidei tradendae, et Divinorum praeceptorum Clero, et omnibus Dioecesis suae fidelibus formam Catechismum dictam, quod ore plerumque fit, dedit adeo facilitate captus, brevitate et perspicuitate verborum operi accomodatam, ut nihil rudiorum intelligentiae, aut primaeve adolescentiae alumnis, aut in tenuiori fortuna degentibus, ipsa aptius aptari possit.

Editus quippe hic Catechismus a Monregalensi Episcopo magni nominis, et ab altero iam nostro Pontifice ad Taurinensem Sedem translato, nonnullis etiam mutationibus adhibitis, compendio adauctus praecipuarum rerum, quae pluribus sufficiant, ablato arbitrio, quod varium esse poterat, illas ex copiosiore desumendi, omnium ore commendatur.

Inter praeclara Fidei et traditionum monumenta semper, et ubique habitae fuere Catecheses, quarum ope fideles edocentur de natura Divina, eiusque operibus, de felicitate, ad quam tendimus, et de rationibus tandem illam adquirendi: de quibus omnibus adeo in illis luculenter disseritur, ut neque Plato, neque Socrates Philosophiae placita tam certa, tam nitida, nec tam facili tradiderint methodo.

Itaque sicuti optandum nobis est, ut ubique, et apud omnes una sit praeceptio, unaque methodus Religionis docendae, ne scilicet maxime pusilli sibi ipsi non amplius esse videantur in terra labii unius, ut Clemens XIII monebat, hinc lectis animis excipiendum est opus, quo praestantissimi nostri Archipraesulis sapientia donati sumus.

At nunc sermo est, Patres, de altera illa iurisdictionis re, quae ad Episcopalis auctoritatis fastigium spectat; nam de promulgatione Synodalis Codicis agitur, atque, sicuti optime nostis, nos hodie huc in concionem advocavit, ut eius audita voce, ipsiusque in sententiam euntes sanctis legibus, quas sapienter laturus erat, subscriberemus.

Quid autem suavius ipsi esse potest, quam eos omnes, quos maiorem in modum diligit, Canonicos scilicet, qui tantum scientia, et zelo pro domo Dei, quantum dignitate caeteros antecellunt; Pastores ovium vigilantissimos, Sacerdotes praeclaros uno intuitu communis salutis causa hic congregatos videre? Quos omnes dum intuetur tot socios, comites laborum suorum, et sollicitudinis suae adiutores, tot Ecclesiae Vercellensis lumina, et praesidia intueri videtur pro praesenti, et futuro suae Dioecesis bono. Quin imo vos intuens, Rectores animarum, vosque alloquens tamquam ovium sui gregis personas gerentes, eas alloqui, et intueri videtur, perinde ac si, uti corde et spiritu ipsas constanter amplexatur, ita ob oculos reipsa hic versarentur.

Oh si nobis daretur intima animi eius scrutari, certisque oculis introspicere liceret, quam laetis affectibus nostro adspectu hoc momento moveatur, quantoque ardore pro omnium nostrum salute flagret, gaudio procul dubio maiori, quam concipi possit, in universum, ac mirabundi afficeremur.

At nobis pariter, dilectissime Pater, iucundissima nullisque sat dignis verbis enuncianda haec dies (nec fallor, dum vestrum omnium nomine, auditores, talia adfirmo) haec dies illuxit, in qua ante venerabilem adspectum tuum sistere datur, nec unquam

nos honestiori voluptate perfusos, quam ab ore pendere tuo, ingenuoque plausu excipere, quae tam sapienter, opportuneque providisti. Eisdem enim sensibus impellimur, quibus urgebatur ille temporum Apostolicorum Ignatius cum diceret: *Reveremini Episcopum sicuti Christum, Episcopus enim typus est Dei, omnium patris gentium.*

Neque tibi, Pater amplissime, minus gratum, aut minus honorabile spectaculum erit, inque Ecclesiasticis fastis raro, aut nunquam forsan alibi visum, memoratumque, adspectus scilicet illius Capituli clarissimi coetus, qui principem in eo ordine locum obtinuit, et omnium, qui postea instituti in Occidente fuere, tamquam exemplar fuit habitus.

Et sane quem nam latet magnum Eusebium nostrum illum sacrorum virorum ordinem instituisse, qui fraternitatis vinculo obstricti Christi Ecclesiae omni sanctorum operum officio famularentur? Facto subscribit D. Maximus; qui tam laudabilem institutionem hisce verbis commendabat: *videbatur conlegium consacerdotum, ut tamquam de seminario optimi germinis per quam plurimas civitates expetentibus populis largiretur lectissimos de sua institutione pastores.*

Iamque ipsa primordia adeo felicem nacta erant exitum, ut S. Ambrosius affirmet plures alias Ecclesias ex ea sibi petere pastores solere, atque inter eas Mediolanensem, Ticinensem, et Novariensem Pastores ex Eusebiano Clero assumptos habuisse: Italia omni, nedum Subalpinis regionibus, exemplum moremque gerente. Neque subsequentibus temporibus hic honos nobilissimo ordini nostro defuit, quum meminimus aetate hac nostra ex eius sinu prodiisse Pastores, qui nostro coetui, et patriae ornamento fuere, ac sunt.

Quam pulchrum ergo Patres, laetumque nobis hoc temporis momentum: quam optabilis epocha singulis memoranda diebus ad animos nostros excitandos, ut uberiores fructus ex Synodalium legum observatione obtineamus.

Vos itaque omnes Dei viventis ministros quotquot hic admiror a Christo electos, ut inaestimabile Redemptionis beneficium applicetis, adiuro, atque obtestor, vos, inquam, quorum in animis zelus doctrinam aequat, virtus doctrina praestat, faustis ominibus novum, spiritualemque hunc codicem accipite: in eius placitis nova lumina, maioraque incitamenta invenietis ad oves vestras ad salubriora pascua alliciendas: atque ita alios sanctificando nosmetipsos sanctificabimus; sicque gloriam, maiestatemque Christi Sacerdotii augendo Cleri Vercellensis praeclarum nomen laus nunquam peritura manebit.

Propterea vos in primis, Collegae praeclarissimi Eusebianae Ecclesiae Metropolitanae pergite, quo coepistis: si hactenus Capitulum nostrum et decus, et Ecclesiae Subalpinae luminare fuit, nunquam excidet tanta gloria: amantissimum Patrem voce et opere adiuvate: Senatus eius sumus, et consiliarios nos habere continuo peroptat: Ipsum magis usque diligamus; certi nunquam nos, sincero animi sui affectu, et pretiosa erga nos benevolentia ipsum esse superaturos: hac voce, menteque, quum Episcopatus primordia inchoasset, sacrum foedus nobiscum initum sanxit, factoque firmavit, nobis magnopere laetantibus inviolatum mansisse.

Vosque insignium Collegiatarum Canonici in peculiaris sui ministerii partem vocati, et Divinis laudibus, et omni pietatis, et zeli opere animarum saluti, Deique gloriae consulere prosequiminor.

Vos deinde Pastoralium laborum, atque sollicitudinum socios compello, universae Vercellensis gentis Pastoris adiutores, Parochi, animarumque Rectores, ut mecum in Christo laetemini, atque videatis quam pulchra, copiosaque seges nobis commendata sit, quae, quantaeve oves sanctissimo Christi sanguine redemptae cordibus nostris commissae. Officium est amoris cura Pastoris, docet Magnus Gregorius; ipsarum ergo saluti intendamus totis viribus, omnique ope, et tempore insistendo, advi-

gilando assidue, sicut conditio nostra, et Ecclesiae mandata poscunt. Non enim temporariis operibus munus nostrum conficitur, ut saepe civilia negotia agitando contingit, quae sat feliciter completa censemus, cum quis prout praesens operi solertia permisit, eidem incubuit; sed sollicitudo, qua obstringimur, nullis limitibus coercetur, omnique temporis vacatione caret; nonnullae enim oves, uti videre est attente consideranti, deserta, et devia petunt, palantesque spreto Pastore noxiis pascuis saturantur: has inquirere, has humeris imponere, atque ad ovile revehere officii nostri est, nullis parcendo laboribus, vigiliis, et precibus, ut toto coacto agmine ad propria se recipiant.

Insudandum ergo diu, noctuque nobis est pro ovium nostrarum incolumitate: nostrae enim sunt, sive dum domi morantur, sive dum agros sudoribus suis rigant. Vix primordia vitae ingressae, imo antequam in lucem edantur, Pastoralem zelum postulant, cum, heu nimium, non paucae ob fatalem parentum ignaviam, pudendamque ignorantiam a Dei conspectu, et beatissima felicitate arceantur caelestis gratiae lavacro orbatae. Nulla denique in totius vitae mortalis stadio dies est, qua religiosae humanitatis nostrae officiis fideles non indigeant.

At vero quam sancta, quantum opportuna, et necessaria futura sint, quae in Synodo pro pueris edocendis, proque totius gregis institutione proponuntur, aut decernuntur neminem mox latebit.

Quantum vero necessaria illa priora facile evincitur ex omnium Philosophorum, Ethnicis non exceptis, sententiis, quorum una vox est, principiis insistendum: nam si cerea in vitium flecti aetas sanctis doctrinis meditatae methodo subiectis tempestive ad virtutem instituatur, haud dubitandum, quin boni mores prodituri sint: quo semel imbuta mens est a teneris unguiculis id servabit imposterum, maxime quia caelestia animos nondum culpae obnoxios acrius percellunt. Deinde vero et qui tenella sunt aetate, et adulti ob primigeniam labem, saeculique

illecebris decepti praecipites in peiora ruunt, nisi ingruentibus voluptatum incitamentis validiora praesidia opponantur, Sacramenta nempe efficacissima gratiae pignora.

Maxima, Patres, laetitia afficior, quum memoria repeto, Archipraesules nostros, quibus in Dioecesi lustranda comes aliquando fui, summopere gavisos esse, laetisque oculis Christianam vestram pubem excepisse tam bene in Divinis edoctam; praetereaque cum oves vobis concreditas Sacramentorum sanctitate, et frequentia delectari conspexissent.

Sunt enim duo haec potiora, facilioraque ad salutem adipiscendam adminicula, prout in synodalibus legibus tantopere commendatur.

Ita quoque opinabantur duo praeclari nominis Antistites (olim Capituli nostri lumina) qui, duabus Episcopalibus Sedibus virtute, et sapientia illustratis, duabus Metropoliticis postea in Subalpinis praefuere de universa Ecclesia, et de nobis optime meriti. Quos ego libentissimo animo, grataque recordatione nomino, quod a priore Sacerdotio auctus sum, et ab altero tanto honore honestatus, ut vestrum collega fierem.

Non inficias ibo, Patres, animarum Rectores non paucis difficultatibus distineri in momentosis Pastoralis officii rebus peragendis: sed potentiora nobis arma suppetunt, quae infringi non possunt: *pugna patientia*, inclamat Chrysostomus, *vince charitate, sanctifica exemplo.*

Quod si zelo, quo vos urgemini, et charitati, qua flagratis, incitamenta addenda essent, quis non videt quanto animo Pastor omnium nostrum gravissimos labores suscipiat, quantaque virtute, et constantia perficiat? Quem latet egregium hominem post obita in Dioecesi regunda suprema sanctissimae suae sollicitudinis munia, adhuc tanta mentis contentione, et vigilantia incumbere, ut nullus opere vacuus occidat dies, quin in iis, quae ad nos potissimum referuntur, libentissime exerceatur. Absit ergo, Patres, ut subscribamus sententiae, qua ipse humiliter,

moreque suo in postremis Pastoralibus litteris monebat, *verba sua* nempe *mortua* esse, nostrumque ope, et auxilio vivificanda: absit, inquam, nam illa, quae de ipsius ore prodeunt dicta, veluti flammae cordibus nostris admotae, animum ad eius exemplum imitandum perpulere, et fortiter suaviterque impellunt.

Vos nunc mente, animoque complector, Sacerdotes praestantes iam variis donati muneribus, vel Sacerdotiis distincti; vosque iuniores templi ministri, cum quorum non paucis amoris, et officii vinculo obstrictus fui, vos, inquam, ad quaevis Ecclesiae munia vel iam idonei, vel ad illa suscipienda proxime adsignandi; quique comparata sub optimorum antecessorum disciplina copiosiori sacrarum doctrinarum supellectile, splendida Levitici agminis pars estis. Quam suavem ex vobis laetitiam capit Ecclesia Christi? Qualem, quantamque spem in virtute vestra reponit?

Ad vos tandem sponte fluit qualiscumque mea oratio, Seminarii Alumni, in sortem Domini vocati, quorum ad utilitatem, Excellentissimo favente Archipraesule, honorabile pariter, et grave onus mihi impositum est quotidie pervigilandi, quo sarta tecta eius praecepta, votaque serventur, compleantur.

Vos, inquam, effusissimo animo alloquor, quibus feliciter datum est vitam degere, easque inhabitare aedes, quae primae inter Italicas extructae fuere, secundo nempe anno post Tridentinam Legem de collegiis Clericorum instituendis: aequum quippe erat, ut quemadmodum perfectiorem Clericorum disciplinam, et monasteria clericalia in occidentalibus Ecclesiis a D. Eusebio nostro profecta esse constat; ita Eusebiana inter priores Ecclesias sanctissimae illi ordinationi citissime obsecundaret, qua nulla melior, ac probabilior ut sub Antistitis ipsius oculis ad pietatem, ad doctrinam, ad ea omnia, quae Christi ministros decent, informarentur ii, qui tamquam cultores vineae Domini in varia Dioecesis loca sunt paullo post dimittendi.

Prosequiminor tanti Pastoris sollicitudines, sanctaque habetote

omnia, quae pro magna sua erga Clericos omnes benevolentia in hisce comitiis decernit, eaque fideliter et accurate servate.

En uti munificentissimi Praesulis consilio, et cura, partimque aere proprio, veteribus temporum iniuria collabentibus, vel minus aptis, disiectis, novae amplioresque extruuntur aedes ad pietatis, et studiorum incrementum, ad commodum, ad decus, nec non ad urbis ornamentum. Diurna versate, nocturnaque manu quae a praeclaris traduntur praeceptoribus, qui nobili contentione vestris utilitatibus cooperantur; avide percipite, solerter colite semina virtutum hic iacta uberrimos fructus aliquando editura.

Quod gaudium, quod incitamentum (maxima quippe vis exempli, et alieni gradus, humanum quidpiam dicere liceat, iisdem modis comparati). Qui stimulus vester erit dum admiramini inter primos Dioecesis consessus vel in Metropolitico Senatu, vel in Collegialibus Ecclesiis, vel in Paroeciis regendis, vel in praestanti munere alios ad omne disciplinarum genus instituendi eos ipsos, quos vel tyrocinii collegas, vel praeceptores habuistis, vel qui non ita pridem vos praecesserunt. Sic semper ad grandia quaeque nati, o Vercellenses, nobis suppetant sacrarum scientiarum cultores! At habebimus quidem (fidenter aio, Patres,) atque est profecto cur nobis ipsi gratulemur; si tamen viam, cui caeteri invicti institerunt, pari alacritate ingressi, pari quoque constantia, ut confidimus, prosequantur: optatam quippe contingere metam non potest, nisi qui multa fecit, tulitque, alsit, et sudavit.

Oh ergo ter felix, terque beata Vercellensis Dioecesis tot sanctis legibus communita, totque piissimis, doctissimisque viris condecorata!

Numne opus adhuc est, ut qui rerum supremarum potiuntur, nos etiam dirigant, fulciant, tueantur: At praesto sunt omnia.

Sedet in Apostolica Romana Cathedra Sanctissimus Pontifex Gregorius XVI maximi nominis, qui omnium Pastor est.

Nondum multum temporis spatium effluxit, ex quo Vaticani oracula difficilius vulgabantur, Summusque Pontifex Sede Sacratissima pulsus, adempta fandi, ut decebat, libertate detinebatur. Sed dedit Deus illis malis finem: nuncque apud cineres Apostolorum, ossaque Martyrum, suo stipatus Senatu, Romano potitur solio, quique eminenti loco sedens benignis oculis gregem universum intuetur, omnibus opem ferre sollicitus, praecipueque nobis Vercellensibus, quos peramanter diligit. Nunquam memoria mihi excidet, quum ad pedes suos provoluto humanissime aperiebat quam gloriose de Ecclesia nostra sentiret, et quam salutaria monita pro Clericorum institutione me docebat.

Sed et supremi Pastoris impotens vox, si oves praebere aures renuant, nuperque ipsum querentem audivimus adversus male cautos, qui paterna ipsius decreta, consiliaque rata non habuere.

Oh ergo nos vere felices in eo etiam, quod Deus ditionem omnem Subalpinam iugiter singulari benevolentia prosequutus est; obque sanctas leges, quas Sabaudi Principes omni non tempore tulere, quorum nonnulli, aula omnimodae virtutis exemplis illustrata, caelitibus adscripti fuere, vel adscribentur.

Magis vero nos beati, Vercellenses, quibus datum est, Beatissimi Amedaei exuviis ditari. Quam laeta recordatione recreamur Augustae domus Reges, Principesve pluries ante ipsius aram provolutos nos vidisse, animis in contemplatione defixis, magnum, venerandumque affinem orantes, ut caelestibus donis seipsos, subditasque gentes cumulare dignaretur. Lectissimum spectaculum adhuc oculis nostris subest, quum paucis abhinc annis, Augustissimus Rex noster Carolus Albertus inter gaudentis populi plausus exceptus, effusis precibus ante sacrata Avi Ossa procubuit.

Qua sollicitudine pro Religionis incremento pius Princeps afficiatur omnibus patet. Probe enim noscens quantum profuerit Reipublicae, prositque Religio; quantamque laudem, et meritum retulerint Maiores sui ob susceptum Ecclesiae, et Religio-

nis patrocinium (Umbertos praesertim loquor, Carolos, Carolos Emanueles, itemque Victorios, Carolum Felicem denique de Ecclesiis nostris tam egregie meritos) quae ad Religionis decus et utilitatem facere queunt, suo firmat imperio. Nos autem nos, Collegae amantissimi, nuperrime Caroli Alberti Religionis, et humanissimae benevolentiae praeclarum accepimus pignus, dum omnes in perpetuum, auctore Excellentissimo Patre nostro, sacro honoris voluit condecorari numismate, quod praetiosis erga Deum recordationibus complet animum nostrum.

Nihil mirandum propterea, si summi Pontifices singulari affectu Regiam Sabaudam domum prosequuti sint, brevibusque litteris privatim, publiceque vulgatis diplomatibus propensissimae voluntatis, et laudis monimentis eius Principes donarint.

At si virtutum exemplis, praesertim cum ex eminenti loco prodeunt, segnes ad bona, boni ad meliora impelluntur, quem non movebunt et Regis eximia pietas, angelicaeque augustissimae Reginae virtutes, praestantissimique mores, decusque Principum Filiorum?

Ea est ergo Sabaudae ditionis res, et status, ut aliarum gentium aliquando dolere vicem, populi vero nullius fortunae invidere debeamus.

Haec autem felicitas firmioribus in diem fundamentis innititur ob recens initum auspicato connubium, quodque tanta populorum laetitia celebratum, tantaque expectatione futurorum est, ut hodiernas secundas res perpetuo duraturas tuto confidamus.

Quid enim non portendit augusti Sponsi virtus piissimis Parentum exemplis, et sub dulcissima sapientissimi viri disciplina educati? Quid non Sponsa ingenii, et animi praecelsis dotibus praefulgens? Haeret animis nostris, Vercellenses, cum nuper in maxima omnium ordinum laetitia excepimus Sponsam, Parentes religiosissimos, qui nos ineffabili humanitate, et oris suavitate consolati sunt; haeret animis quanta manifesta pietate

a B. Amedæo, una nobis, primordia tam laeti connubii auspicarentur, omen certissimum perennis nostrae felicitatis.

Quo autem nobilitatis splendore, qua gloriosa antiquitatis claritudine hae nuptiae fulgeant e gentium, populorumque annalibus facile quisque dignoscet; quum pro certo habendum sit plures continentis Europae domos, quae nunc nominum illustratione clarescunt, principemque agunt, inter privatas, municipalesque versatas, dum Sabauda stirps Caroli Magni neptes, nobilissimorumque Regum Filias ducebat uxores, aut potentissimi Principes eius antiquissimis Penatibus connubio iungebantur.

Sed haec communia nobis, cunctaeque Subalpinae genti virtutum subsidia. At Nobis in Vercellensi Dioecesi quam multa, et praeclara sunt, quae viam faciliorem sternunt, securioremque ut Religionis scita, quae ab Ecclesia universa, et hac Synodali actione renovantur, praecipiuntur, rite exequamur omnes.

Fulget hic procerum religio, totiusque civitatis dignitas, quae in unoquoque ordine et scientiis, et Magistratibus, et armis est nobilitata: Municipii honestas suorum felicitatis, et gloriae impense solliciti, nec non tranquillitatis, et pacis, quae amoris vinculum est, altrix et parens omnium bonorum. Matronarum pietas splendet, quae maior ne sit an erga pauperes et Christianam puellarum institutionem, quae inenarrabilium bonorum fons est, et basis, operosa charitas, haud scio; civium denique cunctorum ardor ad opera excelsa, unde brevi non annorum, sed mensium intervallo plura, aere privato, auspice semper communi Pastore in charitatem effuso, ipsumque comitante supremo Canonicorum ordine, excitata conspicimus, quae magna emolumenta sunt allatura.

Quis nempe dulcis teneritudinis non moveatur affectu cum puerulos non ita pridem per urbis vias, aut plateas vagantes, omnium officiorum civilium, nedum religiosorum ignaros, vitiis

proximos, mirabili nunc disciplina coerceri, atque Christianae miserationis ope ad bonam frugem institui videt?

Quis, uti par est, laudibus non prosequatur admissionem in urbem illorum piorum Institutorum (quorum beneficium brevi in universam diffundetur Dioecesim) qui sublimi, laudabilique ignorantia praestantes omnia sciunt, omnia docent, eo quod caelitus data potiuntur arte instanter docendi ea omnia, quae populum scire decet, amorem scilicet Dei, amorem proximi, parentum, ac Principis? Atque profecto de tam salutari institutione posterorum magis erit ferre iudicium. *Sinite parvulos venire ad me*, clamabat primus perfectorum morum magister Christus: quae brevia verba magnum continent Evangelicae doctrinae praeconium.

Praestantissimae huius doctrinae effatis impulsus illustrium, actuosorumque virorum coetus, vigili adstante Magistratu Regis iussa exprimente, intra paucos dies aperiendas aedes ad pauperes, mendicosque recipiendos, benefico aere instructas curabit; cumque eorum solertiae, et Civium largitionibus dandum sit, quod otium, ignavia, ipsaque crimina, saepe egestate parta, pro viribus pellantur, magnae ideo nobis gratiae illis, et omnibus habendae sunt. Et sane perutilis huius institutionis ope ad societatem reduces, atque ad religiosa munia obeunda opportunis disciplinis inducti sibimetipsis, aliisque utiles sunt. Magni quoque faciendum est, quod largitionum distributio congruenter ita fiet: nam plerumque sine largitoris noxa alius aliquando abundat, alius miseria premitur.

Bonis praeterea, aeque ac utilibus artibus amplum reseratum est iter, ut alumni, quibus mens et facultas est, linearibus adumbrationibus incumbant, quo utilius, ac sapientius vulgarium artium opera conficiant. Vercellae hac in re ex primis in Italia civitatibus, quae tantopere commendantur ob inductam scholam artibus deditam.

Qua nobili cogitatione, praeterquamquod acribus ingeniis

(quorum acies intentata, inersque forsan maneret) erumpere datum est, quod non infrequens Vercellis, utpotequae Iuvenonis, Gaudentii, et Laninii praeclaris nominibus in pictura claruere, iuventus praeterea disciplinarum praeceptoribus assuescit, atque obedientiae, omnimodi ordinis magistrae, morem gerens ad vitam honesta industria ducendam sic aptatur, ut vitia, quae serpe ex malesuada inopia profluunt, viriliter effugiat: hinc sancta erunt connubia, et benemorata soboles, Christianisque imbuta principiis civilia et spiritualia bona consociabit: altera quippe res alterius opem poscit, et amice coniurat.

Nec mehercule mihi haec nuper instituta virtutis praesidia recolenti, memoria excidere antiqua, vel nova, quae pia maiorum liberalitate, aut magnanima viventium largitate fundata fuere, sive ad aegros, insigni et raro charitatis exemplo, recipiendos, sive ad iuvenes, quibus tenuis est res familiaris, pauperque lar, aut lubrica aetas, iuvandos. Non, inquam, horum beneficia memoria excidere: nam praeterquamquod in illo illustrium benefactorum coetu splendida adnumerantur nonnulla magna Ecclesiae nostrae luminaria non tam monimentis rite positis, quam immortalibus beneficiis posterorum venerationi commendata, ingrati animi nota mihi inurenda foret, si nomina illorum, qui in benefaciendo alios anteivere, miseriae et moribus aeque providentes posteris temporibus, damnando silentio praeterirem in hac tantae solemnitatis, et laetitiae die. Nomina ergo Gualae Bichierii, Bonomii, et Solarii aeterna estote, et sicuti boni, piique fuistis, ita perpetua beatitate in Christo fruiminor.

Nihil reliqui nunc ergo est, Patres, quam ut grates Pastori Optimo, cuius tanta in commune bonum fuit, et est cura, et diligentia, imo Deo Optimo Maximo, supremo omnium datori, quam maximas possumus, referamus; Ipse enim haec nobis otia, et felicia fecit tempora; Ipse tam sancta consilia immisit vigi-

lantissimo Pastori, fovitque ut ad praesentem felicem exitum perducerentur.

Oh quam pulchra, quam insignia itaque cuiusve generis emolumenta pro temporum proxima et futurorum felicitate portendunt haec illustria comitia, in quibus tot tantisque ordinationibus sanctitati ministrorum, et aliorum; Divini cultus splendori; sacrorumque, quae in templis nostris celebrantur, maiestati tam sapienter consulitur: hic ergo iure meritoque exclamare possumus: *Oh quam magna gloria domus istius novissimae, plusquam primae.*

At vires non semper votis pares, et omne donum desursum est: hinc a Servatore Iesu Christo, unde omnis dignitas et potestas sacri ministerii nostri, et istius synodalis actionis exurgit, qui dat affluenter, necessaria poscamus auxilia.

Adprecatores apud ipsum adhibeamus eos omnes, quorum tutelae Ecclesia nostra, et Dioecesis praecipue commissa est, et nihil dubitemus, quin prospere sub manus cessurum sit, quod talibus auspiciis coeptum fuerit.

Fidenter itaque tuam invocamus opem, Magne Eusebi, Paterque Sanctissime, super Pastorem amantissimum, qui in sede tua dignitatem tuam, zelumque pro nostra salute aemulatur: In nos, quos primogenitos tuos instituere, ac scribere dignatus es: In vigilem clerum, in universum denique antiquum gregem tuum, cui praefuisti, ut nominis, numinisque tui sub umbra preces, quas Christo fundimus, benigne suscipiantur. Age Martyr Beatissime, ut nobis ante sacratos cineres tuos, nostrum adhuc amore calentes, provolutis datum sit uberrimos percipere fructus ex Sanctis, quae modo vulgabuntur, legibus in hac solemni actione: nam ad normam efformatae sunt illius fidei, pro qua exul tot aerumnis adflictatus fuisti, et pro cuius integritate, et tutela tanta virtute pugnasti.

Vos Sancti Episcopi, Honorate, et Æmiliane, et quotquot Ecclesiam nostram consolamini; vosque caelites omnes, quos

cultu peculiari hic, vel in tota Dioecesi veneramur, vos Deum facite nobis propitium, et gratiarum largitorem.

Sed quid non etiam expectabimus a Te, Beate Amedaee, Princeps in terris, nunc regnans in caelis? Si erga maiores nostros tanta usus es benevolentia; si hinc ad caelum ascendere voluisti; si sacra pignora Tui amoris possidemus, a Rege Regum benedictionis summa fac ut descendat: descendet autem potissimum supra Regem Carolum Albertum, coniugem Reginam, et Sponsos, Filiosque, supra Reginam Mariam Christinam, totamque Sabaudam domum, ut sit illis, quod iam primi fideles precabantur, vita prolixa, imperium securum, domus tuta, populus probus, orbis quietus ad totius Subalpinae gentis, omniumque subditorum gloriam, et felicitatem, nostramque speciatim, qui devotum animum, quem Tibi Patres nostri constanter sunt professi, filiis Tuis profitemur in aevum.

Tantorum nunc ergo patrocinio suffulti, et in spem erecti, exclamemus una voce laetantes omnes cum Ioanne Apostolo: Christo Iesu, qui dilexit, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo: En totum Redemptionis, Fideique mysterium: Iesu Christo, qui fecit nos regnum, et Sacerdotes Deo, et Patri suo: quae licet a Christo omnibus fidelibus dicta sint, potiori tamen iure ad sacram pertinent Hierarchiam, cui spiritualis procuratio (secundum uniuscuiusque gradus) per scientiam Dei, et sanctas leges totius orbis commissa est: et inter cuius Hierarchiae nobiliora membra omnes Vos estis, Archipraesul Venarande, Canonici electi, vigiles Parochi, Sacerdotes omnes, quos pariter ego singulari et humili reverentia, devotoque corde prosequar in perpetuum; Ipsi Christo Iesu gloria, et imperium in saecula saeculorum, amen.

ORATIO ALTERA

Habita die secunda Synodi ab Ill.mo et Rev.mo Th.e Coll. IACOBO GERMANO *Can.e Mai. Eccl. Metrop.*

Quod iamdiu exoptabat, Excellentissime, ac Reverendissime Praesul, Socii amplissimi, quotquot hic adestis omnium ordinum Viri clarissimi, quod iamdiu exoptabat vigilantissimus huiusce Vercellensis Ecclesiae Antistes, ut peracta visitatione pastorali Dioecesana Synodus cogeretur, id auspicatissimis hisce diebus contingit. Atque ego quidem dum huc illuc oculos volvens video, quanta frequentia ex universa Dioecesi huc convenerint omnium ordinum Ecclesiastici viri, dum toto animo reputo quid sit florentissimus hic conventus, quae loci sanctitas, quae rerum agendarum gravitas, quam uberes fructus ex celebratione Synodorum soleant prodire ad populorum salutem, ad disciplinam constituendam, ad societatis felicitatem, ad Religionis totius splendorem, atque incrementum, tanta voluptate perfundor, ut prae gaudio pene gestiam, meque continere haud possim, quin vel sub initium dicendi immortales gratias Deo optimo maximo referam, quod inter plura beneficia in Ecclesiam nostram nullo non tempore collata, tot eidem post D. Eusebium probatissimos, ac sanctissimos Antistites dederit, et modo eximium nobis praefecerit Pastorem, qui zelo salutis animarum adeo flagrat, atque ad pastoralis sui regiminis munia obeunda tanto animi impetu fertur, ut nihil intentatum relinquat, quod maiori sibi commissi gregis bono conducere possit. Neque enim tantum suarum partium esse duxit statim ab auspicatissimis sui regiminis initiis, iis, quae ad Ecclesiasticam iuventutem specta-

rent animum adiicere, ac tempestivis praemiis iuvenum animos ad pietatem, ac studia excitare, suasque Archiepiscopales aedes ad publicas quotannis exercitationes adaperire, ut quae studia antea veluti in silentio colerentur, in amplissimam postmodum lucem prodirent. Haud satis esse duxit editis saepissime in lucem, aut e suggestu habitis orationibus mira dicendi vi ac sapientia refertis Cleri sui, ac populorum animos ad omne virtutis ac Christianae pietatis genus erigere atque inflammare; haud satis habuit quotannis animarum Pastores, ac Confessarios ad se convocare, eosque sanctissimis monitis veluti in spiritu renovatos, atque opportunis ad rectam Sacramenti Poenitentiae administrationem praeceptis abunde instructos ad suas oves remittere. Haud satis spiritualibus exercitiis una cum suo Clero singulis quoque annis interesse. Haud satis Dioecesim invisere editisque opportunis decretis maiori ipsius utilitati prospicere. Haec omnia tam multa, ac praeclara pastoralis regiminis munia illius zelo haud sufficiebant, sed ingenti cum voluptate ceu in tabula spectans uberrimos fructus, qui ex hisce Cleri conventibus solent prodire, atque utilitates, iisdem Ecclesiam suam diutius carere haud voluit, sed Praedecessorum suorum vestigiis inhaerens, ab iisdem naviter occupatam provinciam, et ipse strenue occupare decrevit, hanc nempe Synodum omnibus mirum in modum antea dispositis, atque paratis convocavit iamque omnes adsumus, iamque amantissimus Pastor nos omnes paterna caritate complectitur, atque ut olim iam in sua ad Clerum allocutione fatebatur celeberrimus Episcopus, et ipse quoque fatetur, nullam sibi diem die Synodi iucundiorem esse, nullam, quae in maximis molestiis, quas pastoralis muneris cura affert, ipsius animum magis consoletur, ac recreet, quum in tot animarum Pastoribus, atque Ecclesiae Ministris totidem veluti instructissimas acies videat plenas omnes animorum ad praelianda praelia Domini, totidemque gravis sibi commissae pastoralis sollicitudinis adiutores, qui opera, vigiliis, laboribus, atque etiam

periculis summa ope nitentur, ut Sanctissima Christi Religio in dies magis crescat, atque amplificetur, laetemur igitur Pastoris amantissimi votis tam benigne Deum annuisse, quodque potissimum est, serio cogitemus, qua tandem ratione et Deo Optimo Maximo, et tam mirae pontificis caritati grati esse possimus, ipsius voluntati obsequamur, nostra cum ipsius studiis studia conferamus, ut haec Synodus felicissimum exitum consequatur. Nulla autem meliori ratione hunc finem assequemur, quam si ea, qua par est animi reverentia ac docilitate sanctissimas, quae feruntur, ac promulgantur leges excipiamus, ac potissimum fideliter servemus eas quae ad nos spectant, quibusque Clericalis, ac Sacerdotalis nostra disciplina constituitur, enitamurque ut aliae leges ab omnibus et singulis, quorum interest, inviolate serventur. Quid enim prosint Synodi, quid leges, si non observentur? --Quid sunt inobservatae leges? (Eloquentissimi viri verbis utar) quid sunt inobservatae leges nisi veluti gladius in vagina reconditus, neque hoc unquam hostes dispelles, neque illis publicae felicitati inimica facinora extirpabis.-- Pro certo itaque, atque explorato omnino habendum: --salutem, uti inquiebat Tertullianus, esse in observatione legis, atque nobis omnibus summa ope enitendum, ac nostram omnem operam in hoc collocandam, ut leges accuratissime observentur.-- Ut vero alacriores ac promptiores in istarum Clericalis disciplinae legum observantia reddamur, operae pretium me facturum puto, si pauca de ipsarum praestantia, vi atque sapientia breviter in memoriam revocavero. Utinam mihi modo ex hoc ornatissimo loco ad tot clarissimos viros verba facienti illud ingenium adesset, illa eruditio cum ipsa dictionis castitate coniuncta, atque dicendi exercitatio, quae magna prorsus requireretur, ut aliquid possem in medium afferre, quod dignum hoc loco, vestrisque ingeniis videretur! At cum haec omnia mihi deesse plane intelligam, neque mihi fas fuerit hoc arduum onus recusare, hoc superest, ut vestram indulgentiam efflagitem, vestraeque me

humanitati etiam atque etiam commendem. Quod si exspectationi haud satisfecero, id saltem consecutus fuero, me, et enixam meam erga Excellentissimum Antistitem voluntatem, quoad fieri per me licuit, meumque in vos omnes, et universam Dioecesim amorem declarasse.

Dolendum summopere est, vel inter ipsos sacros Ecclesiae ministros aliquos haud defuisse, qui Sacerdotalem, ac Clericalem disciplinam aegro animo tulerint, eamque veluti nimis grave iugum ab Evangelica simplicitate prorsus alienum conati fuerint traducere. Quam indecorae, quam pudendae huiusmodi querelae sint, quanta vero ex adverso sit vis, praestantia atque sapientia istarum legum, quae Sacerdotalem hanc disciplinam respiciunt, illico comperiet, qui ad status nostri dignitatem, et ad eam, quam requirit sanctitatem paullisper animum intenderit. Quicumque enim Sacerdos vocationis suae memor paullo attentius haec reputaverit, simulque ad hanc sanctitatem assequendam viriliter contendat nec pericula ignoret conditionis nostrae, facile is intelliget, quam sapienter, atque opportune ab Ecclesia canones, ac leges conditae sint ipsi Divino Iuri, eique plane concordes, ex quibus haec Sacerdotalis disciplina conflatur, ad quam totus Clericorum vitae cursus perpetuo dirigatur, is profecto nedum contra has leges obmurmuret, summo quinimmo habebit in pretio, ac diliget, easque tamquam necessarium fulcimentum inter tot, quae undique nos circumstant pericula, ac peccandi illecebras existimabit. Quis porro, proh Deum immortalem! mente concipere, nedum verbis exprimere valeat quae, et quanta sit Sacerdotum dignitas, atque excellentia? Eorum dignitas nullis possit comparationibus adaequari. Quid est enim Sacerdos? Vir nempe ex hominibus assumptus pro hominibus constitutus in iis, quae sunt ad Deum: ipse, qui pro Deo legatione fungitur, mediator inter Deum, et homines, ipse lux mundi, sal terrae, gregis Christi dux, atque magister, pupilla ipsa oculorum Dei, quid plura! Ipsi Sacerdotes sunt Dii, qui et alios

Deos efficiant. Quanta vero, ac pene incredibilis ac prope Divina ipsis tradita potestas, quae duas Divinae ipsius omnipotentiae dotes amplectitur, Eucharistiae consecrationem, et integram peccatorum veniam? Quam praeclaris, ac prorsus Angelicis virtutibus eos fulgere oporteat, ac caeteris praestare fidelibus!. In memoriam revocentur tot illae atque eximiae prorsus virtutes, quibus eos ornari postulat D. Paulus, qui se Divino famulatui mancipaverint pro vario illorum gradu, Episcopatus nimirum, Sacerdotii, Diaconatus, ex quibus Ecclesiastica tunc constabat Hierarchia: eos nimirum vult omnino irreprehensibiles esse, nullumque crimen habere, ita ut etiam qui ex adverso est vereatur nil malum habens de ipsis dicere. Eos iubet esse sobrios, temperantes, castos, modestos, pudicos, continentes, benignos. Ab iis petit, ut adeo omnes suos affectus in dominatu habeant, ut numquam ad iracundiam se abripi sinant, ut iustitiam sectentur, fidem, mansuetudinem, pietatem eamque doctrinae supellectilem sibi comparent, ut revera possint doctores appellari et esse, in doctrina sana exhortari, eosque qui contradicunt arguere. Tandem adeo officiorum suorum memores, adeo sollicitos legum suarum observantes, ut caeteris semet possint omnium bonorum operum exemplum praebere. Habetis hic egregiam profecto veri Sacerdotis imaginem atque picturam, in qua videatur Apostolus Angelos potius, quam homines expressisse: eas siquidem in Clero virtutes requirit, quae ad Angelicam pene puritatem accedant.

Si vero a D. Paulo ad Ecclesiae Patres aliosque sanctos viros gradum faciamus, quot quamque praeclarae hac de re ipsorum sententiae nobis occurrent? Atque ut pauca tantum afferam: --In gremio quasi consacerdotum positus, (ait D. Ambrosius in libro de Dignitate Sacerdotali:) ipsos alloquor Sacerdotes. -- Audite me stirps Levitica, germen Sacerdotale, propago sanctificata, duces ac rectores gregis Christi, audite me rogantem vos pariter et timentem .... dignum est, ut dignitas Sacerdo-

talis prius noscatur a nobis, et sic deinde servetur a nobis, ut psalmographi sententia queat repelli a nobis: *homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Haec dignitas nullis poterit comparationibus adaequari. Nihil in hoc saeculo excellentius Sacerdotibus .... digne noscamus, quid sumus, et quod sumus professione, actione potius, quam nomine demonstremus, ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, ne sit nomen inane et crimen immane, ne sit honor sublimis, et vita deformis, ne sit deifica professio, et illicita actio .... magna sublimitas magnam habere debet cautelam. Honor grandis grandiori debet sollicitudine circumvallari.— In Epistola vero ad Ecclesiam Vercellensem: —Debet praeponderare vita Sacerdotis, sicut praeponderat gratia.— Et alibi Christum alloquens: --Quanta enim Domine Iesu Christe cordis contritione, et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate, et animi puritate istud divinum et caeleste Sacrificium est celebrandum, ubi Caro tua in veritate sumitur, ubi Sanguis tuus in veritate bibitur, ubi summa imis iunguntur, ubi adest praesentia Sanctorum Angelorum, ubi tu es Sacerdos, et Sacrificium mirabiliter, et ineffabiliter constitutus!-- Quid vero Chrysostomus? — Quanta ergo puritate, (ex Sacrificii excellentia concludit Homilia 83. in Mathaeum), quanta ergo puritate oporteret eum esse, qui hoc fruitur Sacrificio, quanto radiis solaribus puriorem esse oporteret manum carnem hanc dividentem, os, quod igne spiritali repletur, linguam, quae tremendo nimis sanguine rubescit?— In libris vero de Sacerdotio: —Sacerdotium, ait, in terra peragitur, sed caelestium ordinum classem obtinet .... idcirco Sacerdotium obeuntem ita purum esse decet, ac si in Caelis inter Potestates illas collocatus esset... cum videris Dominum immolatum et iacentem, ac Sacerdotem Sacrificio incumbentem, ac precantem, omnesque pretioso illo sanguine rubentes, an putas, te adhuc cum hominibus, et in terra esse? An non potius

in Caelos translatus, omnique carnali cogitatione eliminata nudo animo menteque pura, quae in Caelis sunt circumspicis? ..... Cum autem Spiritum Sanctum invocaverit, et horrendum illud Sacrificium obtulerit, et communem omnium Dominum assidue tractaverit, quo illum, quaeso, in ordine constituemus? quam nam ab illo puritatem, quam pietatem exigemus? cogita, quales oporteat esse manus illas, qualem eam linguam, quae illa verba effundat?-- Sed plura non affero: oporteret namque aureos ipsius de Sacerdotio libros integros exscribere: hortabor itaque potius ut saepe legantur, eiusque verba alte animis demittantur: vix enim dici potest, quam uberes ex ipsius lectione fructus feremus: adeo namque magnifice de dignitate ac sanctitate Sacerdotali loquitur, ut omnes in suam trahat sententiam, ac in admirationem rapiat.

Quem vero non moveant piissimi auctoris de Imitatione Christi ad Sacerdotes verba! --Si haberes angelicam puritatem, et Sancti Ioannis Baptistae sanctitatem, non esses dignus hoc Sacramentum accipere, et tractare. Grande mysterium, et magna dignitas Sacerdotum, quibus datum est quod Angelis non est concessum! attende tibi, et vide cuius ministerium tibi traditum est per impositionem manus Episcopi. Ecce Sacerdos factus es, et ad celebrandum consecratus .... vide nunc ut teipsum irreprehensibilem exhibeas. Non alleviasti onus tuum, sed arctiori iam alligatus es vinculo disciplinae, et ad maiorem teneris perfectionem sanctitatis. Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus, et aliis bonae vitae exemplum praebere. Eius conversatio non cum popularibus, et communibus hominum viis, sed cum Angelis in Caelo, aut cum perfectis viris in terra. Oh quam mundae debent esse manus illae, quam purum os, quam sanctum corpus, quam immaculatum cor erit Sacerdotis ad quem totius ingreditur auctor puritatis! Ex ore Sacerdotis nihil nisi sanctum, nihil nisi honestum et utile procedere debet verbum. Oculi eius simplices, et pudici, manus purae, et in Caelum

elevatae, quae Creatorem caeli; et terrae solent contrectare. Sacerdos interea tanta excellens dignitate, ut nulla humana et nequidem Angelica cum ipsa possit comparari; Sacerdos, quem necesse omnino est huic dignitati respondere eximiis, atque angelicis prorsus virtutibus, haud desinit homo esse, et ipse circumdatus infirmitate, lutea vasa portans, quae undique faciunt angustias, ipse, ut caeteri homines in hoc mortali corpore vivit, iisdem affectibus ac caeteri agitatur. Versatur quoque in hoc mundo, qui totus positus est in maligno, ubi omnia, ex Ioanne, sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitae; versatur in hoc saeculo, quod ex ipso Tacito nihil aliud est nisi corrumpere, et corrumpi; ubi laqueis, et hostibus plena sunt omnia, ubi et a dexteris, et a sinistris undique impugnatur. Qua igitur ratione inter tot funestas exemplorum pestes, atque pernicies, inter tot pericula, ac peccandi illecebras posset se tueri, nisi sanctissimis clericalis disciplinae legibus veluti fulcimentis iuvaretur, nisi hisce praesidiis, ac veluti repagulis adversus tot undique ingruentes hostes communiretur? Id porro praestant sanctissimae huius disciplinae leges, quae eo omnes tendunt, ut Clericorum mores ad eam honestatem, ac sanctimoniam effingant, quam Deus ipse ab iisdem requirit, quaeque nil aliud sunt nisi totidem rationes, atque praesidia, quibus cum ad virtutes assequendas, ac inviolate servandas, tum ad vitia vitanda facilior via sternatur. Id praestat haec disciplina, quae Clericum a venenato huius saeculi commercio, a societate scilicet amatorum mundi seiungit; quae cavet, ne se se in perpetuum negotiorum, atque hominum vorticem immittat, ad silentium, meditationem, solitudinis amorem allicit, pertrahit quantum licet homini ad sanctificationem aliorum addicto; quae eundem prohibet a pompis, a luxu, a spectaculis, aliisque periculosis, futilibus, indecoris. Atque ut unum, aut alterum huius disciplinae caput attingam, quis non videat, quam sapienter Ecclesia pristinis canonibus inhaerens,

licet eorum rigore mitigato, disciplinae leges tulerit circa Clericorum cum mulieribus cohabitationem, consuetudinem, ac familiaritatem; quamque prudenter sollertissimus noster Archiepiscopus in sua Synodo praecipiat, ut Clerici » Mulierum fa- » miliares consuetudines, et colloquia etiam sub pietatis ima- » gine effugiant, ut Confessarii a nimia familiaritate cum altero » sexu abstineant, ab ipsarum domibus frequentandis etiam » collationum spiritualium causa sibi temperent! » Quis enim ignoret, haec et Sanctarum Scripturarum oraculis, et Sanctorum Patrum doctrinae atque exemplis, ipsiusque rei naturae optime congruere? Quis ignoret, foeminarum familiaritatem rem esse aleae, ac periculi plenam, quod Salomon ipse infausta nimis experientia edoctus fatetur: *vinum, et mulieres apostatare faciunt sapientes!* Quis ignoret praeclaras hac de re Hieronymi praesertim, atque auctoris libri de singularitate Clericorum inter opera Cypriani inserti sententias? — Hospitiolum tuum aut raro, aut numquam mulierum pedes terant, omnes virgines Christi aut aequaliter ignora, aut aequaliter dilige... Caveto omnes suspiciones, et quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur ante devita. Blandas ac dulces literulas sanctus amor non habet. Prima tentamenta Clericorum sunt frequentes mulierum accessus: nec Davide sanctior, nec Samsone fortior, nec potes esse Salomone sapientior .... memento semper quod colonum paradisi de possessione sua mulier eiecerit. (S. Hieron. Epist. ad Nepot. et alibi). — In hac parte, ait auctor de singularitate Clericorum: in hac parte expedit bene timere, quam male fidere, et utilius est infirmum se homo agnoscat, ut fortis existat, quam fortis videri velit, et infirmus emergat ... quantos leones domuit una infirmitas delicata, quae cum sit vilis, et misera de magnis efficit praedam? — Quid nos haec? Numquid non diligentissime nos quoque, qui arctiori caelibatus vinculo adstringimur, oportet custodire castitatem, quod quidem thesaurum portamus in vasis fictilibus! Numquid caro nostra aenea, aut fortitudo lapidum for-

titudo nostra? Quid? et David, et Salomon, et Samson propter mulieres misere lapsi sunt, multosque alios se vidisse testatur auctor Soliloquiorum, quae Augustino tribuuntur, et a patribus audivisse, ascendisse primitus usque ad Caelos, et inter sydera nidum suum collocasse, postmodum autem recidisse usque ad abyssos, et animas eorum in malis obstupuisse: Ecclesia vero non debuit suis ministris, et ecclesiastici coetus decori sanctissima hac disciplinae lege prospicere? Ita profecto, et diligentissime haec lex ab omnibus observanda, ut hac ratione quilibet Clericus ob aliorum praesertim utilitatem propriae famae consulat, neve periculo se obiectet, aut ipsius existimatio ulla foedi criminis probabili suspicione imminuatur. Si vero de ea lege loquamur, qua arcentur Clerici ab alearum lusu, choreis, aliisque profanis spectaculis, quis reprehendat, aut eidem iure succenseat? Qui namque probe noverit per alearum lusum, qui non ab industria, sed a fortuna regatur, passim homines ad fraudes, fallacias, mendacia, periuria, furta, aliaque enormia scelera inclinari, qui probe sciat, huiusce generis ludos ab ipsis civilibus legibus prohiberi, ab Ecclesia quoque Clericis sapientissime prohibitos fuisse fatebitur, cum quia eorum conditioni sunt indecori, tum ne per hanc ludorum consuetudinem tempus perdant, quod gravioribus profecto rebus debent impendere, patrimonium profundant, et animae ipsius fortasse detrimentum patiantur. Qui probe etiam noverit, quam sancta sit lex, qua Clerici a choreis, comoediis, aliisque spectaculis longe abesse iubentur, ac vero Ecclesiae spiritu referta, omniumque Conciliorum auctoritate firmata, eam valde laudaverit, ac Benedicto decimoquarto assentiet » merito cavisse Ecclesiam, ne Clerici » hisce coetibus miscerentur, ubi amatoria cantantur, ac tur- » pia, aut obscoeni motus corporum choreis, ac saltibus effe- » runtur, ne auditus, et obtutus sacris mysteriis deputatus tur- » pium spectaculorum, atque verborum contagione polluatur. » Hae aliaeque plures quas silentio praetereo, sunt disciplinae

leges, quas Ecclesia potestate a Christo accepta ad informandos Ecclesiasticorum mores constituit, ac nemo satis mirari queat maternam prorsus ipsius sollicitudinem, atque caritatem, qua filios suos complectitur, eorumque potissimum qui in sublimiorem statum erecti sunt, necessitatibus consulit, infirmitati opitulatur, sanctitati in iis servandae ac fovendae perpetuo studet. Mirum namque, quot in sibi praescripta perfectionis via eos praesidiis auxerit, atque locupletarit, ac communem omnium fragilitatem adiuverit, mirum quanta sollicitudine, atque prudentia semper, ubique vel ab antiquissimis temporibus huic officio incubuerit ea statuta, illas leges promulgando, quibus eorum disciplina constitueretur, collapsa instauraretur, ita ut eaedem manifesto notam referant antiquitatis, perpetuitatis, universitatis, quod maximam hisce legibus conciliat vim, atque auctoritatem. Si namque plura huius disciplinae capita, quae in praesens vigent, inspicias, ea comperies vel a remotissimis Ecclesiae saeculis initium ducere, ab iis nimirum temporibus, quibus post tot saeva bella, ac persecutiones, pacatis tandem rebus, potuit Ecclesia disciplinae constituendae incumbere. Et quamvis disciplina mutationi obnoxia sit, et re quidem vera antiquorum Canonum severitate mitigata, in pluribus fuerit immutata, attamen vivendi regulae Ecclesiae ministris propositae, quod ad rei naturam attinet, eaedem semper fuere, constans ubique in substantialibus concordia reperitur. Concilia mira inter se consensione eadem praeceperunt, sanxerunt, easdem vitae normas adprobarunt, ut decori ac sanctitati Ecclesiastici coetus consulerent. Testimonium huiusce rei luculentissimum habemus in iis, quae peracta sunt ab Ecclesia posterioribus hisce temporibus. Valde nimirum cupiens Clericorum mores ad pristinae sanctitatis, atque fervoris laudem iterum efflorescere nulla potiori ratione id se consequi posse arbitrata est, quam si veteres leges innovaret, earumque observantiam quam maxime urgeret. Id videas a sacrosanto Concilio Tridentino religiose observatum

in omnibus canonibus, quos edidit de Cleri reformatione; neque satis habuit generali decreto eos confirmare, sed saepe etiam expresse, et speciatim revocat, graviter Episcopis praecipiens, ut si quae ex his, quae de vita, et honestate Clericorum a Summis Pontificibus, et a Sacris Conciliis copiose ac salubriter sancita fuerunt, in desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimum in usum revocari, et ab omnibus accurate custodiri studeant, ne subditorum neglectae emendationis ipsi condignas Deo vindice poenas persolvant. Id videas quoque suis in Synodis ab Episcopis accuratissime observatum, inter quos vigilantissimus omnique praeconio maior eminet S. Carolus Borromeus, qui tot coactis Provincialibus, ac Dioecesanis conciliis, ac luculentissimis ad Clerum hortationibus atque orationibus habitis sanctissimam disciplinam instauravit, Ecclesiae suae faciem prorsus immutavit, auctorque fuit ut nedum a sua Ecclesia, verum et ab exteris latae ab eo disciplinae leges ac decreta tanta sapientia referta, ac venerandae antiquitati adeo conformia plaudentibus omnibus summa cum veneratione exciperentur. Quid magis igitur exoptandum, quam ut Sanctissimae huius disciplinae leges adeo prudentiae, sapientiae atque utilitatis plenae per quas a vitiis, et peccatis arcemur, ad virtutem erigimur, atque inflammamur, et ad perfectioris vitae genus, ad quod vocati sumus ac pietatis exercitium sollicitamur, summopere vigeant? Quis non toto animi impetu feratur ad eas leges custodiendas, quas noverit et Divino ipsi iuri inniti, et ab ipsa Ecclesiastica potestate, Pontificum nempe, Conciliorum, Episcoporum sanctionibus dimanare, quibus nihil praestantius possit excogitari? Quis non libens modo excipiat disciplinae leges in hac Synodo a vigilantissimo nostro Archiepiscopo promulgatas, cuius quidem iussibus ac decretis nemo possit refragari? Si enim omnes nullo discrimine Christiani pastoribus suis obtemperare iubentur, quid tandem oportet facere Clericos, qui singulari ratione professi sunt Episcopis suis obedientiam, ac reverentiam,

atque optime norunt Episcopos esse successores Apostolorum, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quos omnes ex S. Ignatio, sequi debemus ut Christum patrem.

Quae ergo a. supremo Dioecesis Pastore modo feruntur leges, ea, qua par est, animi docilitate, ac reverentia excipiamus, leges, quae nos respiciunt, inviolate custodiamus, servemus, quae ad reliquos spectant Christi fideles summa ope enitamur, ut amussim observentur. Servabunt porro has leges Christi fideles, si nostras nos primum servaverimus, si virtutum exemplo caeteris praeiverimus; incredibile namque dictu est, quantum exempla nostra populos ad virtutem ac pietatem et ad grandia quaeque excitent, atque inflamment. Praeclara prorsus verba sunt hac de re Clementis XIII in sua encyclica Episcopis omnibus data: --Cuiusmodi sunt, ait, Sacerdotes, eiusmodi plerumque esse solet et populus. In eos, praesertim si Parochi sint, tamquam in speculum omnes inspiciunt, quapropter neminem perniciosius de Ecclesia mereri, quam vitiosos Clericos existimandum est, quia sua vitia infundunt in populum, eumque ita corrumpunt, ut plus exemplo suo, quam peccato nocere videantur.-- Quibus optime respondent quae ad Heliodorum Episcopum scribebat Hieronymus: --In te oculi omnium diriguntur, domus tua, et conversatio quasi in specula constituta magistra est publicae disciplinae, quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant.-- Ita profecto est, homines exemplis magis, quam verbis moventur; in exemplis enim, praesertim ubi haec praebeantur ab iis, qui sint in officio, aut Ecclesiastica dignitate constituti, nescio quid inest illecebrarum, quod homines sensim trahat, impellat, devinciat. Exemplo igitur omnibus simus habitu, gestu, incessu, sermone, ut vel ipse habitus exterior corporis ipsam mentis ac cordis ordinationem promat. Absit, ut aliquis inter nos reperiatur, cui illa Hieronymi de quibusdam sui ordinis aptari ullo unquam tempore possint, quibus nimirum, uti aiebat, --omnis cura est in vestibus, si bene oleant,

si crines calamistri vestigio rotentur .... tales cum videris, sponsos magis existimato, quam Clericos.— Exemplo simus in oratione, praesertim vero cum sacrum facimus, videant fideles non hominem, sed Angelum offerentem, et ex ipsa externa devotione fidem, quae intus vigeat, et caritatis flammam, qua accendimur, veluti oculis cernant. Exemplo simus in praedicatione; noscant nimirum ex ipsa ratione, qua praedicamus, nos non id facere ad vanam nempe gloriolam captandam, sed praedicare Iesum Christum, et hunc Crucifixum, Deique gloriam, et animarum salutem unice spectare. Exemplo simus in humilitate, arrogantiam omnem, ac fastum abiicientes, ne efficiamur inanis gloriae cupidi. Exemplo simus in lenitate. Haec virtus non eo, quo par est pretio videtur ab omnibus haberi, ab aliquibus praesertim, qui non putant nisi acrioribus verbis se posse aliorum corda emollire. Non ita profecto nos docuit Christus, qui ait: Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde; non ita Ecclesiae patres, qui docent, nisi oves efficiamur, nos lupos vincere haud posse. Exemplo simus in castitate; videamus, quam caute ambulemus; qui se existimat stare, videat, ne cadat. Exemplo simus potissimum in caritate; haec urgeat nos, haec impellat ad servandam perpetuo unitatem in vinculo pacis, haec exsuscitet erga pauperes misericordiam, et largitatem: --Cogitemus, ait Clemens XIII, largitatem praecipuo quodam iure ab iis requiri, qui res Ecclesiae, quae sunt vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum, non ut proprias, sed ut commendatas habent.-- In qua virtute exercenda ut possimus esse praestantes, cavendum summopere ab avaritia, atque a nimio, et inordinato parentum et nepotum amore, et ab omnibus legenda praeclara quae hac de re tradit S. Carolus in sua undecima Synodo in luculentissima illa, quam ad Clerum habuit concione. Exemplo simus potissimum zelo salutis animarum. Oh utinam hic zelus ferveat; quam bene tunc cum vocationi nostrae, tum populorum expectationi respondebimus, quam uberes ex labo-

ribus nostris fructus feremus? Proderit autem plurimum ad hunc zelum una cum aliis virtutibus in nobis suscitandum identidem animo recolere pulcherrima illa Gregorii Magni: —ibi Petrus, (nimirum coram supremo Iudice) ait, cum Iudaea conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dicam, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achaiam, Ioannes Asiam, Thomas Indiam in conspectu sui iudicis conversam ducit. Ibi omnes Dominici gregis Duces cum animarum lucris apparebunt: nos vero ad Dominum nostrum post negotium vacui redibimus? Oves solum tondere doctissimi, eas pascere negligemus?— Plurimum proderit cogitare illas palmas, illos triumphos, illas coronas, quae nos in Caelis manent in aevum duraturae. Iuvabit recogitare tantum illam, quam ex Divo Paulo habemus impositam nubem testium, tot animarum Pastores, qui forma gregis facti ex animo virorum Apostolicorum exemplar in seipsis exprimerent, iuvabit praeclara maiorum, qui in hac ipsa nostra Ecclesia floruerunt, exempla nobis ad imitandum proponere, neve antiqua repetam, aliquos recordari ex egregiis illis viris, quos omnes cognovimus tamquam singulare olim nostrae Vercellensis Ecclesiae, atque ipsius Capituli decus atque ornamentum, quorumque obitum non ita multum lamentati sumus; erant namque viri, qui singulare ingenium nacti, et illustrem naturam sortiti diligentiam adderent illustriorem, ex quo factum, ut miram doctrinae supellectilem, et uberrimos scientiarum, ac multigenae eruditionis thesauros sibi comparaverint, quibus, quod potissimum est, praeclarae inessent animi dotes, pietas in Deum singularis, morum integritas angelica, zelus salutis animarum, in alios lenitas, effusa in pauperes caritas, rara modestia, constans totius vitae ratio ordinatissima. Adhuc ne egemus stimulis? unum subiiciam, quod sane animadversione dignissimum puto. Nimirum postquam sub finem elapsi saeculi saeva illa tempestas commota est, quae omnia inter se invicem coepit miscere, atque confundere, postquam homines effrontes,

ac impios vidimus, qui sparsis in vulgus impiissimis libris omnia subruere conati sunt fundamenta societatis, ac religionis, qui uno verbo adversus Deum cucurrerunt armato collo, et contra omnipotentem roborati sunt, nunc vero, singulari Dei beneficio, pacata Europa, rebusque fere ubique tranquillis, post tot dubitatioues, post adeo pervagatum pyrronismum videntur homines ad saniora praecepta redire, mentesque hominum ac voluntates in christianam religionem inclinare. Hinc in religionem cultus, atque observantia, hinc ad collapsam moribus societatem instaurandam fervens ubique publicae, ac privatae educationis studium. Hinc institutio puerorum, quae incensis multorum studiis, tot praestantissimorum virorum, Raphaelis Lambruschini potissimum, cuius hic decet mentionem fieri, amoris, atque honoris plenam, lucubrationibus, ac laboribus, mira prorsus tulit incrementa. Hinc sive in exteris regionibus, sive in nostra Italia tot aedes excitatae, tot scholae adapertae ad informandos ad virtutem, ac religionem puerorum atque adoloscentum animos, et nostra haec civitas, quae effusa in pauperes caritate, ac tot publicae beneficentiae monumentis adeo excellit, ut paucae cum illa sint comparandae, ut sileam de nuper extructo ab ipsa loco pauperibus, qui victum ostiatim mendicant, recipiendis destinato, iucundissimum sane praebet spectaculum, dum illam recens institutam puerorum Scholam in oculis ponit, in qua pietate spectatissimi, ac sagacissimi praeceptores tenellos animos adeo sapienter erudiunt, ac ad pietatem informant, ut qui in eam recipiuntur, licet ut plurimum dissipati incogitantes, quod proprium illius aetatulae fraeni omnis impatientis, brevissimo dierum intervallo graves, dociles, obedientes evadant. In hoc igitur universali prope modum publicam privatamque institutionem promovendi, ac bonos mores propagandi ardore, quid aliud superest, nisi ut iunctis consiliis, atque laboribus constanti animorum consensione nos omnes, qui appellamur, et esse debemus Doctores in Israel,

tam prolixam in religionem voluntatem ac studium iuvemus, ac in dies adaugeamus? Magnos itaque animos resumamus; videamus ministerium, quod accepimus, sedulo illud impleamus. Absit, ut segniter infra subsistamus, sed incoeptum iter alacriter prosequamur, ac praestantium more illud absolvamus. Incoeptum est, retro abire non licet. Id a nobis exspectant populi, id expectat patria, religio; haec sunt vota Ecclesiae, haec vota vigilantissimi nostri supremi Antistitis, quae adimplere necessarium, fallere turpissimum, vincere gloriosum.

ACCLAMATIONES

Uni Trinoque Deo rerum omnium Creatori ac Gubernatori providentissimo, qui sanctissimam Ecclesiam super fundamenta veritatis excitavit, grates nunquam a nostris pectoribus discessurae habeantur.

℟. Fundimus laudes, agimus gratias, Pater Optime, maximas.

B. Virgini Mariae Dei Genitrici Sanctissimae, cuius potenti protectione fulcimur.

℟. Laus et honor perennis.

Supremum universae Ecclesiae Moderatorem Gregorium XVI, haereditatis aeternae custodem et vindicem, veritatis columen et interpretem, Sacerdotii oraculum et propugnatorem, ut diu multumque tantum Religionis praesidem ad gentium obsequium, ad Cathedrae Petri triumphum, Domine tuearis.

℟. Serva, fortuna, bea Ecclesiam Catholicam, novis, Eo moderante, auge triumphis; quae descivere in obedientiam provincias recipiat, novas adsciscat, et universus terrarum orbis supplex Pontificem Maximum veneretur, et Patrem.

Pontificem nostrum Alexandrum, Pontificis Maximi Praelatum Domesticum, eiusdemque Solio Adsistentem, serva, omnipotens Deus, et sustine ad huius Dioecesis felicitatem; et menti laboribusque eius benedicito.

℟. Serva, sospita diutissime; promove curam, qua dilectissimi gregis pietatem fovet, excitat, acuit Pontifex Optimus, et Pater.

Eidem Praesuli huiusce Synodi auctori, et auspici, patri amatissimo gratias agamus.

℟. Dignas, meritasque agimus maximas.

Carolum Albertum invictum Regem semper Augustum, pientissimam Reginam Mariam Teresiam, Egregium Sabaudiae Principem, qui auspicatissimis nuptiis diuturnitatem Sceptri numquam perituri firmavit, Domumque Regiam universam ad tutamen Fidei, ad populorum felicitatem, ad omnium obsequium munus Altissimi tueatur et regat.

℟. Mortalium Regem Rex immortalis, Tu nobis serva, et da aeternum attingere regnum.

Metropolitano Capitulo venerando, singulis Canonicis, Parochis, et universo Clero ut sanctitatis complementum concedas, arrectum erga fidem ardorem serves, Divinaeque Gratiae lumine accendas in salutem animarum procurandam, consensionem mutuam, mutuamque charitatem continenter inspires.

℟. Da Domine, tuam in sortem vocatis, da omnes, da proprias virtutes. Idem omnes simul habeat ardor tuae gloriae, nostraeque, fratrumque omnium salutis.

Civitati huic et Dioecesi fausta quaeque a summo omnium bonorum Datore pronis genibus, submissaque mente exposcimus, ut Fidem, morum integritatem, studium in cultum Divinum sospitet et adaugeat; atque ut inde omnem calamitatem avertat.

℟. Benedic, Domine, haereditati tuae, dirige eam in viam salutis aeternae.

Cantemus Domino, Domino benedicamus in saecula.

℟. Benedicamus Domino in saecula. Amen.

Rectis oculis, Omnipotens Domine, haec Synodi consulta intuere, a nemine vel minime detractentur, et robore in posterum polleant duraturo.

℟. Vigeant, valeant omnibus sancta, inviolata. Quae spectamus pariant bona, ut Religio rite procuretur, et Ecclesiastica disciplina in dies magis invalescat; Sacerdotes omnigena virtute spectabiles ad Christianam vitam fideles exemplo iuvent; Tibique in omnibus semper sit gloria. Amen.

OFFICIALES SYNODALES

PROMOTOR SYNODI.

D. Iacobus Bacchi Canonicus Basilicae Metropolitanae, promotor piorum legatorum.

SECRETARIUS SYNODI.

D. Laurentius Ferrero S. F. D. collat. moral. Praefectus, ac Pro-praeses Societat. Mission.

COADIUTORES.

D. Ioseph Montegrandi Pro-secretarius Excellentissimi D. D. Archiepiscopi, Oblatus.
D. Ioachim Boreani I. U. D.

NOTARIUS SYNODI.

Gli domanderà quanto tempo è, che non si sia confessato, ricordandogli il grandissimo frutto, che si cava dal confessarsi spesso.

Se ha fatto la penitenza impostagli.

Se sa gli articoli della fede, e li precetti del Signore, e della santa Chiesa: e non sapendoli, si governerà conforme a quello, che si dirà più a basso.

Se ha usato in esaminare la sua conscienza la debita diligenza, la quale deve essere tanta, quanta si suole mettere in negozio importantissimo, essendo veramente tale andare a questo Sagramento. In quest' occasione, secondo che vedrà esser bisogno, lo instruirà anco come debba fare l' esame della coscienza, per ridursi a memoria tutti li peccati commessi, con le loro circostanze; cioè che vada tra se stesso

discorrendo la sua vita; prima quanto alla diversità dell'età, cioè puerizia, gioventù ecc.: secondariamente quanto alla diversità degli stati, ne' quali si sia trovato, come sarebbe prima che si maritasse, poi nel matrimonio ecc.: terzo quanto agli accidenti diversi di prosperità, ed infermità, li varii tempi, li diversi ufficii, che ha esercitato, le compagnie, che ha tenuto, i luoghi, i paesi, e case dov' è stato, ed ha conversato: finalmente in tutte queste cose ricerchi, se ha peccato col cuore, con la lingua, o con opere.

Gli avvisi parimente delle condizioni, che si ricercano alla buona confessione, dichiarandogliele con la maggior brevità, e facilità, che sia possibile. E potrà ridurre a quattro, o cinque più principali quelle sedici, che sogliono mettere li Dottori, comprese in questi versi;

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, et accusans, et sit parere parata.

Gli dimanderà, se sa d' essere incorso in qualche caso riservato, ovvero in qualche scomunica; ovvero se sa di avere qualsivoglia altro impedimento, pel quale egli non lo possa assolvere. E trovando allora, o nel corso della confessione tal impedimento, non proceda più oltre: ma avvisi il penitente, che non può essere da lui assolto; che gli è necessario presentarsi innanzi a chi sia da Noi data facoltà di assolvere in simile caso. Ma quando per qualche rispetto giudicasse il Confessore non convenire, che si presenti il penitente, vada egli per la facoltà.

Avverta, che, se trovasse il penitente legato di qualche scomunica, l' instruisca quanto sia grave la pena della scomunica, e quanto pericolo sia il perseverare in quella, e con quanta diligenza si dee fuggire il che farà mostrandogli gli effetti d' essa.

Dee fare quelle interrogazioni delle confessioni passate, che sono necessarie per conoscere, se fosse incorso in alcun caso, pel quale fossero state nulle, epperò si dovessero reiterare, come sarebbe, se si fosse confessato da chi non avesse podestà d' assolverlo, o da chi non avesse usata la forma legittima dell' assoluzione, o da Sacerdote tanto igno-

rante, che non intendesse, o sapesse le cose, che sono necessarie per amministrare questo Sagramento; ovvero s' egli avesse scientemente taciuto qualche peccato mortale, o divisa la confessione, dicendo a un Confessore una parte de' suoi peccati, ed a un altro l' altra; ovvero se si fosse confessato senza avere alcun dolore de' suoi peccati, o senza proposito di emendarsi; ovvero senza usare diligenza di sorta alcuna per ricordarsi de' peccati.

E perchè per lo più si suole usare molta negligenza in far le confessioni, come si vede massime nel tempo, che la persona non vive in timor di Dio, ed ha pochissima, o niuna cura dell' anima sua, di modo che più presto si confessa per una certa usanza, che per cognizione, ch' ella abbia de' suoi peccati, e desiderio d' emendarsi; ed in ogni caso per la grande umiltà, ch' è di confessarsi generalmente, massime nel principio, che l' uomo si risolve di volersi daddovero emendare, e convertire a Dio: esortino li Confessori, secondo la qualità delle persone, a luogo, e tempo li penitenti a fare una buona confessione generale, acciocchè per mezzo di quella rappresentandosi innanzi agli occhi tutta la vita passata, si convertano con maggior fervore a Dio, e soddisfacciano con questa a tutti li difetti, che fossero intervenuti nelle confessioni passate.

Finite le dette interrogazioni, che sono come preamboli preparatorii alla confessione, induca il Confessore in ogni modo il penitente, che esso dica prima tutti i suoi peccati, de' quali si ricorda.

Il che fatto che abbia, e trovando come per lo più suole accadere, che il penitente abbia bisogno d' essere interrogato, acciocchè per mezzo dell' interrogazione intenda molte cose, che egli si sarà scordato, o avrà confusamente detto; avvertendo in particolare di domandar sempre il numero de' peccati mortali commessi, di modo che, sebbene il penitente non li saprà precisamente riferire, non di meno gli faccia dire poco più, o manco quel numero, che pensa essere più appresso alla verità: proceda in queste interrogazioni con ordine, cominciando dai comandamenti del Signore, ai quali sebbene si possono ridurre tutti li capi, de' quali si deve interrogare: nondimeno con persone, che vengono di raro a questo, è bene di discorrere ancora per li sette peccati capitali, cinque sentimenti, precetti della Chiesa, ed opere di misericordia.

Dev' essere il Confessore pandente, usando particolar diligenza in domandar di que' peccati, ne' quali gli uomini dello stato, nel quale è il penitente, sogliono per lo più incorrere.

E ne' peccati carnali insieme con la prudenza deve usare molta cautela in non cercar altro, quando avrà inteso la specie del peccato, e le circostanze grandemente aggravanti.

Per questa causa il Confessore dev' essere instrutto, quali sono le circostanze, che mutano la specie del peccato, o che grandemente l' aggravano. Perocchè queste due sorta di circostanze necessariamente si debbono esplicare nella confessione: sopra di che potrà ricorrere alle somme, che dichiarano quel verso:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Sia particolarmente canto, ed avvertito del modo, con che deve interrogare donne, e putti, acciò non insegni loro quello, che non sanno, e si sforzi d' usar parole, che non offendano l' orecchio del penitente, guardandosi, mentre che confessa, di non far atto, nè gesto alcuno, pel quale qualche circostanza possa accorgersi di gravezza di peccato nella persona, che ha innanzi, ed anco per non ispaventare il penitente, di modo che per questo tacesse qualche altro grave peccato: anzi gli faccia animo a confessare ogni enorme, e brutto peccato.

Il Confessore, che ha qualche privilegio, facoltà, ed autorità di commutare li voti di quelli, che si confessano, non li commuti, se non in altre opere pie maggiori, e più grate a Dio, o almeno uguali, avendo diligente riguardo alle spese, fatiche, ed altre incomodità, che avrebbono patito, se avessero adempiuti i loro voti.

Acciocchè li Confessori siano instrutti di non dare il beneficio dell' assoluzione a quelli, che veramente ne sono indegni, come per inconsiderazione, e negligenza, o altra causa spesso accade; onde nasce, che molti perseverano lungo tempo ne' medesimi peccati con mirabile ruina delle anime loro: per questo abbiamo col parere di molti Teologi secolari, e regolari di varie Congregazioni notato quì a basso quello, che si deve osservare da' Confessori in alcuni casi più frequenti. Però siano essi avvertiti di governarsi in assolvere, o no, in questi infrascritti casi nel modo, che si dirà.

Perchè adunque ognuno, che sia pervenuto all' uso della ragione, è obbligato sotto pena di peccato mortale a sapere tutti gli articoli del Simbolo Apostolico, quali siano, almeno quanto alla sostanza, e li comandamenti di Dio, e della santa Chiesa, che obbligano a peccato mortale, e comunemente si sogliono insegnare nelle scuole della dottrina cristiana: per questo trovando il Confessore, che il penitente non sappia le sopradette cose, se non sarà disposto ad impararle quanto prima, non deve assolverlo. Ma quando si esibisca pronto a farlo, se altre volte essendo stato ammonito dal Confessore, o sia l' istesso, o altro, o dal suo Curato in particolare a impararle, (di che avvertisca d' interrogarlo) non ha fatto la debita diligenza per impararle secondo la sua capacità, differisca l' assoluzione sino a tanto che in qualche modo soddisfaccia. Ma non essendo stato di ciò avvisato, lo assolva, dandogli prima quella instruzione delle sopradette cose, che gli fosse necessaria per essere allora capace dell' assoluzione.

Trovando padri, e madri di famiglia, che non usino diligenza di far imparare le suddette cose a quelli, che sono sotto la loro cura, e non le sanno, o siano figliuoli, o figliuole, o servitori, o servitrici; del che avvertiranno d' interrogarli particolarmente: ovvero non procurino, che si osservino li precetti di Dio Signor nostro, e della santa Chiesa; o veramente, quello che è peggio, impediscano d' osservarli, come fanno quelli, che tengono tanto occupati li servitori, e servitrici, che in un certo modo li mettono in necessità di lavorare per li proprii bisogni le feste; o che loro non danno tempo, che, conforme al precetto della Chiesa, possano udir la Messa; o che, senza sapere quali della loro famiglia hanno legittimo impedimento, loro danno, o lasciano dare indistintamente da cena in casa sua nel tempo della Quaresima, e negli altri giorni di digiuno; e loro danno avanti l'ora debita in tali giorni la mattina da desinare; o che non gli ammoniscono, e correggono, quando trasgrediscono essi precetti; e quando li servitori sono incorreggibili, e scandalosi, non danno loro licenza di casa sua;

In tutti questi casi, se non promettono di soddisfare realmente a quello, che sono tenuti, e di emendarsi della negligenza usata nella cura della loro famiglia nelle suddette cose; non gli assolverà. Ma promettendo di farlo, se non saranno più stati ammoniti dal Confessore,

o Curato nel modo, che si è detto di sopra, li potrà assolvere: e se sono stati ammoniti più volte, nè si sono in modo alcuno corretti, differisca di dar loro l'assoluzione, sinchè abbiano dato principio, e veri segni, e prova per qualche tempo della emendazione.

Il medesimo modo osservi con quelli, che ne' giorni di festa perseverano in lavorare, e vendere, e fare altre cose proibite.

L'istesso osservi con quelle persone, le quali nel superfluo ornamento del corpo, e pompa peccano mortalmente.

E perchè sono ridotte le pompe di questi tempi nel maggior colmo, che possano essere, e in buona parte per colpa, e negligenza de' Confessori, li quali senza considerazione alcuna, e forse senza farne coscienza ai penitenti, gli assolvono; si metteranno distintamente i casi, ne' quali le persone per le superflue pompe, ed ornato peccano mortalmente, acciocchè poi nell'assolvere si reggano secondo gli avvisi dati di sopra.

Quando adunque usano pompe, o si ornano a fine di peccato mortale, peccano mortalmente.

O quando per simili ornamenti trasgrediscono, o fanno, che altri trasgrediscano qualche comandamento di Dio, o della Chiesa, come sarebbe, lavorando la festa, o facendo lavorare, o lasciando la Messa, o facendola lasciar per ornarsi; o essendo causa, che il marito, o altri a' quali spetta di mantenerle, spendano più di quello, che portano le sue forze: onde sappia, o debba ragionevolmente sapere, o dubiti probabilmente, che per questo nascano odj, e dissidj in casa; il marito, o altri suddetti bestemmino, facciano guadagni, o contratti illeciti; cessino colpevolmente da elemosine debite, o da soddisfare ai legati pii, o altri debiti, a' quali sono obbligati; o ritengano, o differiscano la mercede debita agli operaj; o facciano nuovi debiti, che poi non possano a suo tempo pagare; dalle quali cose ne segue danno del prossimo; non possano collocare le figliuole in matrimonio, quando sono in età conveniente; il che suole partorire per lo più grandi inconvenienti; o ne nascano, o siano per nascere altri simili peccati, che si vedono seguire per le soverchie pompe, ed ornato: ne' quali casi l'usare dette pompe, ed ornato, è peccato mortale.

E perchè è quasi impossibile, quando una persona sfoggia più di

quel, che portano le sue facoltà, che non conosca, o possa, o debba conoscere, che ne seguono, o abbiano a seguire simili peccati, si può quasi fare universal giudicio, che tali siano in peccato mortale, se dalla diligente discussione, che farà il Confessore col penitente, non gli consterà del contrario per qualche particolar causa.

Pecca anco la persona mortalmente nel modo dell'ornarsi, quantunque la spesa non passi lo stato, e la facoltà sua; come se l'ornato è induttivo da se a lascivia, o veramente per comune interpretazione degli uomini; ovvero se, quantunque non sia induttivo da se, nondimeno s'accorge, o dubita probabilmente, che per occasione di tal modo d'ornamento, non usato comunemente dalle persone probate del suo stato, qualche persona particolare si muova ad amarla inonestamente, o si nutrisca questo peccato, e tuttavia fa niuna, o poca stima della salute spirituale del suo prossimo, il quale vede rovinare in questo suo straordinario ornato, e perseverare pure in esso: ovvero quando è fatto tal ornamento con intenzione di mostrare varj effetti d'amore inonesto, e dar segno d'essi con vestire varj colori, o in altro modo.

Avverta ancora, che non solo non si possono assolvere quelli, che veramente non hanno ferma deliberazione di lasciare il peccato mortale; ma nè anco quelli, che, sebben dicono di desiderare di lasciarlo, nondimeno affermano, che lor pare, che non lo lascieranno, se questi tali non vogliono pigliare que' rimedj, senza i quali il Confessore giudica, che torneranno al peccato. Si differisca anco l'assoluzione, sinchè si veda qualche emendazione, a quelli che, quantunque dicano, e promettano di lasciar il peccato, nondimeno il Confessore giudica probabilmente, che non lo lascieranno, come sono alcuni uomini, specialmente giovani oziosi, che il più del tempo stanno in professione di giuochi, crapole, amori, e peccati carnali, bestemmie, parole disoneste, mormorazione, odj, detrazioni, o vengono solamente gli ultimi giorni di Quaresima a confessarsi; ed a quelli, che molti anni hanno perseverato, e sono ricaduti ne' medesimi peccati, nè hanno fatto diligenza alcuna d'emendarsi.

Non si possono parimenti assolvere quelli, che non hanno vera risoluzione di lasciare insieme con li peccati mortali le occasioni di essi.

E perchè è di molta importanza, che i Confessori intendano bene questo; però ad instruzione loro si spiegherà quì distesamente.

Chiamansi occasioni di peccato mortale tutte quelle cose, le quali danno causa di peccare, o perchè da se stesse sono induttive al peccato, o perchè il confitente è solito in quelle talmente a peccare, che ragionevolmente deve il Confessore giudicare, che pel suo mal abito nè anco per l'avvenire s'asterrà, se in quelle occasioni persevererà.

Nel primo ordine d'occasioni, cioè quelle, che di sua natura sono induttive al peccato, sono il far professione di giuoco di carte, o dadi, ovvero tener casa apparecchiata a quest'effetto per altri; tener in casa, o a sua requisizione la persona, con la quale si pecca, o in altro modo coabitare seco; perseverare ne' ragionamenti, sguardi, conversazioni, ed altri gesti, e pratiche d'amori lascivi.

Essendo dunque involto il penitente in alcuna di queste occasioni, o altre a queste simili; se la detta occasione è tale, che sia in essere, come tener le concubine, o simili, non deve il Confessore assolverlo, se prima attualmente non lasciasse l'occasione. Nelle altre occasioni, come professione di giuochi, sguardi, conversazioni, gesti ecc., se non promette di lasciarla, e quand'anche prometta, se avendo promesso altre volte, nondimeno non si sia emendato, differisca l'assoluzione, sintantochè veda qualche emendazione.

E perchè può accadere tal caso, che il penitente con tutti i ricordi e modi, che gli vengono proposti dal prudente, e zelante Confessore, veramente non possa lasciare l'occasione senza pericolo, o scandalo; deve il Confessore servirsi di questi rimedj:

Primieramente differisca l'assoluzione sintantochè veda certa prova di vera emendazione. E se non potesse differire l'assoluzione senza pericolo di qualche infamia del penitente, e veda in lui tali segni di contrizione, e tal disposizione, e prontezza a ricevere i rimedj, che il Confessore giudicherà necessarj, perchè si emendi, deve proporgli quelli, che gli parranno più opportuni, e necessarj; come per esempio, ordinargli, che non si trovi solo con tal persona, assegnargli orazioni, qualche macerazione di carne, e sopra tutto le frequenti confessioni, od altri simili, i quali se esso accetterà, il Confessore potrà assolverlo.

E se dopo questa diligenza fatta da lui, o da altro Confessore precedente, non si sarà emendato, non gli dia l'assoluzione, finchè attualmente non abbia levata l'occasione.

Occasioni di peccati mortali nel secondo ordine, cioè per rispetto alla persona, sono quelle cose, le quali benchè siano in se lecite, nondimeno ragionevolmente si giudica, che il confitente tornerà ai medesimi peccati, che già in quelle ha commesso, se in esse persevererà, come pel passato ha fatto. Tali a molti sogliono essere per la corruttela del mondo la milizia, la mercanzia, i magistrati, l'avvocare, il procurare, ed altri simili esercizj, ne' quali l'uomo, che è abituato a peccare spesso mortalmente in bestemmie, furti, ingiustizie, calunnie, odj, fraudi, spergiuri, ed altre simili offese di Dio, sa, che, perseverando in tali esercizj, gli occorreranno le medesime occasioni: nè vi è ragione di pensare, ch' egli abbia ad essere più forte contra il peccato, che nel passato sia stato, e conseguentemente tornerà agli stessi peccati.

Però i tali debbono, come dice S. Agostino, o lasciare l'esercizio ad essi pericoloso, o almeno non esercitarlo senza licenza, ed obbedienza d'un buono, e diligente Sacerdote: il quale non deve assolver l'uomo in tale stato, se ha opinione ragionevole, che sia per ritornare ai medesimi peccati, quando perseveri nella medesima occasione: però deve far prova della sua emendazione per alcun tempo. Ed in questo è da aprire gli occhi tanto più, quanto che il difetto in questa parte de' Confessori fa, che quasi in tutte le arti, ed esercizj regnino molti abusi, e peccati gravissimi, senza i quali pare per questo, che oggidì molti non sappiano esercitare anco le cose in se stesse giustissime.

Come per esempio ne' magistrati, ed altri officj si giurano molte cose, che non si osservano.

Nel consigliare, avvocare, e procurare si serve alla malignità de' clienti, ed all' ingiustizia contra la propria coscienza:

Nella milizia alle regole del duello, agli odj, ed omicidj, a professione di giuochi, alla bestemmia, alla rapina, alle meretrici:

Nelle mercanzie alle usure, alle fraudi delle robe, in meschiare, o dar la trista per la buona; o vendere per più quello, che vale manco, in ispergiurare facilissimamente, in fraudare i dazj, od altri peccati.

Molti artigiani s'occupano così la festa, come il dì di lavoro, talchè mai non si danno al culto divino, nè ascoltano la parola di Dio, ed al medesimo modo occupano la lor famiglia.

E così si troverà, che molti in tali esercizj sono continuamente vivuti in peccati mortali, i quali non si debbono stimare capaci dell'assoluzione, senza prima usare diligenza di liberarli dalle occasioni, o farli più forti.

Anzi usando il Confessore maggior diligenza, troverà forse, che alcuni di questi tali mai non si sono ben confessati. E ritrovando, che veramente sia così, dovrà mostrar loro, che perciò debbono (oltre la prova di reale emendazione, e il discostarsi dall' esercizio ad essi pericoloso) confessarsi generalmente, ed usare rimedj forti per la propria salute.

Molto più dovrà essere avvertito il Confessore in quella sorta di esercizj, ed operazioni, le quali non hanno seco alcuna necessità, ed utilità: e se non sono in quella prima sorta d'occasioni per se induttive al peccato mortale, e conseguentemente da lasciarsi ordinariamente da ogni sorta di persone, nondimeno inclinano al male, e tirano molto facilmente, e spesse volte l'uomo a diversi peccati mortali, come sono l'andare a' balli, il conversare con bestemmiatori, bravi, ed altre male compagnie, il frequentare le taverne, e l'oziosità, e simili cose, per occasione delle quali essendo solito l'uomo a peccare mortalmente, non deve essere assoluto, se prima non le rinuncia, e promette d'astenersene, e lasciare realmente dette occasioni.

Si guarderà ancora il Confessore di assolvere quelli, che esercitano contratti nominatamente proibiti, o che altrimenti sono manifestamente illeciti, se prima non li rescindono, e fanno la debita soddisfazione. E se i contratti sono dubbiosi, se il penitente darà sufficiente cauzione di stare a quello, che sarà deciso, lo potrà assolvere, ed ammettere alla comunione.

Non assolva innanzi la debita restituzione, e soddisfazione quelli, che hanno di ciò qualche obbligo, potendo farlo, eccettuando quelli, che sono in grave, e pericolosa infermità; a' quali però comandi, ed incarichi, che quanto prima soddisfacciano.

Usato che avrà il Confessore le sopraddette diligenze, se non avrà trovato impedimento alcuno, pel quale debba negare, o differire l'assoluzione; faccia, che il penitente concluda la confessione, chiamandosi in colpa di tutti i peccati confessati, e d'altri, che con parole, pensieri, opere, ed omissioni ha commesso, de' quali non si ricorda.

Il che fatto, mostrandogli il Confessore, massime se è persona, che di raro si confessi, la gravità de' peccati; discendendo in particolare a quelli, ne' quali troverà più involto il penitente, gli darà quei rimedj contra i detti peccati, che gli parranno più spedienti.

Di più se vi sarà il bisogno, gli ordinerà, che soddisfaccia, restituendo o roba, o fama, o onore, che avesse tolto al prossimo: e data la salutare penitenza, conforme a quello, che a basso si dirà, l'assolverà.

Nell' ingiungere la soddisfazione, e penitenza deve il Confessore essere circospetto, acciò non le imponga tanto leggiere, che la podestà delle chiavi ne venga in disprezzo, e che esso non partecipi de' peccati d' altri; nemmeno tanto gravi, o lunghe, che i penitenti o ricusino d' eseguirle, o accettandole non l' eseguiscano poi interamente.

Pertanto deve il Confessore sapere i Canoni penitenziali. Perciocchè, quantunque si possano, e si debbano moderare ad arbitrio di prudente, e discreto Confessore secondo la contrizione del penitente, o la qualità, e diversità delle persone, ed altre circostanze: nondimeno è bene sempre guardare i suddetti Canoni, ed a quelli, come a regole, conformarsi quanto giudicherà spediente. E quantunque il Confessore non imponga la penitenza del Canone antico: dovrà nondimeno spesse volte manifestarlo al penitente, per indurlo a maggior contrizione, e ad eseguire tanto più prontamente la minore penitenza, che gli sarà stata ingiunta, cavando utilità dalla benignità, che oggi usa seco la santa Chiesa in mitigar il rigore dell' antica disciplina Ecclesiastica.

Procuri, che le soddisfazioni corrispondano ai peccati commessi; come imponendo pei peccati carnali digiuni, vigilie, peregrinazioni, cilizj, ed altre simili cose, che possano macerare, e mortificare la carne; pel peccato dell' avarizia, oltre le debite restituzioni, imponga elemosina conforme alla facoltà di ciascuno.

Alla superbia, ed altri peccati spirituali conviene l' orazione, colla quale umiliandosi innanzi a Dio si acquista forza, e vigore per resistere a simili peccati.

Alla negligenza d' imparare le cose cristiane gl' imponga d' ascoltare le prediche, e andare almeno per certo tempo alle scuole della dottrina cristiana.

Agl' indevoti, e tepidi nelle cose della salute propria, imporrà il visitare le Chiese, e frequentare l' orazione.

A' bestemmiatori particolarmente imponga grave penitenza secondo la gravità della colpa, conformandosi alla disposizione de' sagri Canoni, decreti de' Pontefici, Concilio Lateranese ecc.

Deve però il Confessore usar prudenza, avendo riguardo alla qualità delle persone, non imponendo elemosine a' poveri, nè ordinariamente a quelli, che con le proprie fatiche si guadagnano il vivere, digiuni; ed avendo il medesimo riguardo nelle altre penitenze.

Avverta di non assolvere pubblici, o scandalosi peccatori senza ingiunger penitenza proporzionata al loro errore, acciocchè con la correzione loro soddisfacciano allo scandalo dato in conformità del Concilio di Trento *Sess.* 24 *de Reform. Cap.* 8.

Perchè sia più libero il Confessore a fare gli uffici, che deve col penitente, ed abbia con esso più autorità in tutte le cose, che gli ordinerà per salute d' esso; fugga non solo ogni avarizia, ma anco ogni minima sospezione d' essa.

Particolarmente non dimandi neppur con cenni denari, o altra cosa nelle confessioni, nè per occasioni d' esse: anzi non solo colle parole, ma più ancora co' fatti dia ogni testimonio d'abborrire simili cose.

Ingiungendo penitenza al penitente di far dir messe, non le applichi direttamente, nè indirettamente nè a se nè alla sua Chiesa, o Monastero.

Il medesimo si osservi nelle soddisfazioni, che gli occorrerà far fare per occasioni di debiti incerti, per commutazioni di voti, o simili altre cose.

Nè meno pigli denari, o altre cose da restituire, eccetto se la necessità, per non iscoprir il penitente, lo ricercasse; ed in tal caso procuri una polizza di ricevuta da colui, al quale avrà fatta la restituzione, e la consegni al penitente: e in tutto proceda in maniera, che fugga ogni ombra, ed apparenza d' avarizia.

SYNOPSIS CONSTITUTIONIS BENED. XIV. (1. Iun. 1741).

In qua confirmatur et ampliatur Constitutio Gregorii XV. contra Sacerdotes Poenitentes suos in Confessionibus sacramentalibus ad turpia sollicitantes.

Sacramentum Poenitentiae etc. In praesenti constitutione, primo, confirmatur tum Constitutio edita a Gregorio XV. contra Sacerdotes sollicitantes ad turpia suos Poenitentes in Confessionibus Sacramentalibus, tum Decreta et a Congregatione Cardinalium Inquisitorum adversus haereticam pravitatem et ab Alexandro VII. edita ad interpretationem et declarationem eiusdem Constitutionis. Atque etiam denuo committitur et mandatur omnibus haereticae pravitatis Inquisitoribus et locorum Ordinariis universi Orbis Christiani, ut in suis respective Dioecesibus » diligenter inquirant et procedant contra omnes et singulos » Sacerdotes tam Saeculares quam Regulares, quomodolibet exemptos » ac Sedi Apostolicae immediate subiectos, quorumcumque Ordinum, » Institutorum, Societatum, Congregationum, et cuiuscumque dignitatis, et praeeminentiae, aut quovis privilegio et indulto munitos, » qui aliquem Poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu » Sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediate post Confessionem, vel occasione aut praetextu Confessionis, vel etiam extra occasionem Confessionis in confessionali sive in alio loco ad audiendas » Confessiones destinato aut electo cum simulatione audiendi ibidem » Confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare sive » verbis sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut » tunc aut post legendam tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint: et quos in » aliquo huiusmodi nefarii excessus culpabiles repererint, in eos pro » criminum qualitate et circumstantiis severe animadvertant per condignas poenas, iuxta memoratam *Gregorii Constitutionem*, *quae* hic » de verbo ad verbum pro inserta habenda est: » data etiam, si opus sit, et rursus concessa facultate (ne delictum tam enorme ob probationum defectum remaneat impunitum), iam alias in praefata Consti-

tatione tributa, procedendi cum testibus etiam singularibus, dummodo praesumptiones, indicia, et alia adminicula concurrant.

Tum, declaratur, singulos Sacerdotes ad Confessiones audiendas deputatos teneri et obligari, Poenitentes suos, quos noverint fuisse ab aliis sollicitatos, sedulo monere de obligatione denuntiandi Inquisitoribus, sive Locorum Ordinariis praedictis personam quae sollicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit qui iurisdictione ad valide absolvendum careat, aut sollicitatio inter Confessarium et Poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit, sive non consenserit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem iam effluxerit, aut sollicitatio a Confessario non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit: praeterea diligenter cavendum esse a Confessariis, ne Poenitentes, quos noverint ab alio sollicitatos, absolvant, nisi prius (denuntiationem praedictam ad effectum perducentes) competenti Iudici delinquentes indicaverint, vel saltem se (cùm primum poterunt) delaturos promittant.

Deinde reservatur in perpetuum Summo Pontifici facultas absolvendi eos, extra mortis articulum, qui innoxios Sacerdotes falso sollicitationis apud Iudices Ecclesiasticos insimulant per se ipsos, vel procurant ut ab aliis id fiat.

Praeterea interdicitur omnibus Sacerdotibus, tam Saecularibus quam cuiuscumque Ordinis aut Dignitatis, quovis privilegio et indulto etiam speciali expressione et specialissima mentione digno suffultis, » ne aliquis eorum, extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius » mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui » Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personae complicis in peccato turpi et inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum commisso excipere audeat: sublata propterea illi » ipso iure quacumque auctoritate et iurisdictione ad qualemcumque » personam ab huiusmodi culpa absolvendum, » ita ut absolutio huiusmodi irrita omnino sit. Illum autem Confessarium, qui secus facere ausus fuerit, maiorem Excommunicationem Sedi Apostolicae reservatam ipso facto incursurum, declaratur: decerniturque, nec vi Iubilaei nec vi Bullae Sanctae Cruciatae, nec vi cuiusvis alterius indulti Confessionem huiusmodi complicis quemquam excipere posse. Non obstantibus quibus-

cumque Ordinationibus Apostolicis, consuetudinibus, privilegiis, indultis sub quacumque forma et cum quibusvis clausulis ac decretis quomodolibet concessis, etc.

Postremo, mandatur omnibus Locorum Ordinariis tam praesentibus quam futuris ut tum hanc, tum illam Gregorii XV. Constitutionem contra sollicitantes ab omnibus Sacerdotibus approbandis ad Confessiones attente legi et accurate observari curent.

BENEDICTI XIV. DECLARATIO

Constitutionis praecedentis (8. Febr. 1745) *contra Confessarios sollicitantes.*

Apostolici muneris partes etc. Hic a Summo Pontifice declaratur, quemadmodum vi praecedentis Constitutionis interdictum non est in articulo mortis Confessionem Sacramentalem complicis in turpi peccato contra sextum Decalogi praeceptum excipere eumdemque absolvere si alius Sacerdos deficiat, ita interdici et prohiberi eumdem complicem quoad Sacramentalem Confessionem audire et absolvere, quotiescumque alius adsit Sacerdos etiam simplex et alias ad Confessiones audiendas non approbatus. Si talis vero casus occurrat, ut alius Sacerdos vocari aut accedere sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo nequeat, non interdici Sacerdoti socio criminis Poenitentem in articulo mortis constitutum ab eo quoque crimine absolvere. Animadvertendum tamen esse a Sacerdote huiusmodi criminis complice, se reipsa coram Deo reum gravis inobedientiae et poenis in superiori Constitutione latis obnoxium reddere, si infamiae aut scandali pericula (ubi non sunt) ipse sibi ultro confingat: et graviter teneri ad huiusmodi pericula (quantum in se erit) opportunis adhibitis mediis antevertenda et removenda, unde fiat ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius Confessionis audiendae sine eius infamia aut scandalo. Ita hic declaratur, ac districte praecipitur. Quod si huiusmodi Sacerdos complex praedicti criminis nulla gravi urgente necessitate sese ingesserit; aut ubi infamiae vel scandali

periculum timetur, si alterius Sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad periculum avertendum opportuna media adhibere de industria neglexerit, atque ita personae in dicto crimine complicis atque in articulo mortis positae Sacramentalem Confessionem excipere eamque absolvere, nulla (ut dictum est) causa necessaria urgente, praesumpserit; quamvis huiusmodi absolutio valida sit si rite dispositus sit Poenitens (non enim pro formidando articulo mortis eidem Sacerdoti quantumvis indigno aufertur necessaria iurisdictio, ut hic pariter declaratur, ne hac occasione aliquis pereat); ipsum tamen Sacerdotem violatae ausu huiusmodi temerario Legis poenas non effugere, et propterea latam in praecedenti Constitutione Excommunicationem modo eodem ut ibi dictum est incurrere ipso facto, decernitur.

SYNOPSIS BENED. XIV. CONSTITUTIONIS (28 Sept. 1746)

Contra Confessarios in administrando Sacramento Poenitentiae exquirentes a Poenitente nomen complicis.

Ad eradicandum etc. In hac Constitutione Summus Pontifex refert primo integram Epistolam a se datam Antistibus Portugalliae et Algarbiorum die 7. Iulii 1745, quae incipit *Suprema omnium Ecclesiarum* quamque confirmaverat per alias Litteras datas die 2. Iunii 1746 incipientes *Ubi primum.* Huic autem Epistolae conficiendae occasionem dedit prava quaedam ac perversa praxis, quae introduci coeperat in illis regionibus in administratione Sacramenti Poenitentiae. Quidam enim Confessarii, falsa zeli imagine se seduci passi, eo erroris devenerant, ut, si in Poenitentes socium criminis habentes incidissent, ab iisdem socii seu complicis huiusmodi nomen passim exquirerent: atque ad illud sibi revelandum non modo inducere suadendo conarentur, sed denuntiata quoque (nisi revelarent) absolutionis Sacramentalis negatione prorsus adigerent, atque compellerent: imo etiam complicis eiusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum sibi designari. Summus itaque Pontifex illa Epistola reprobavit et damnavit dictam praxim

tamquam scandalosam, perniciosam, et tam famae proximorum quam Sacramento iniuriosam. Deinde, ne error hic per alias Christianas regiones serperet, generali hac Constitutione praeinsertam Epistolam confirmans decernit et declarat, memoratam praxim in seipsa ubique locorum et temporum Apostolica auctoritate reprobatam et damnatam esse et censeri debere: nec ulli licere contra doctrinam a se in supradicta Epistola traditam scribere, docere, ac loqui; eamque impugnare, aut perverse interpretari, aut ipsi acta contraire: sub poenis statutis adversus tuentes, asserentes, tradentes opiniones scandalosas, perniciosas, et uti tales a Sede Apostolica reiectas et condemnatas, et adversus violantes mandata Apostolica et Ecclesiasticas Constitutiones.

SYNOPSIS LEONIS XII. CONSTITUTIONIS (13 Mart. 1825).

Qua sectae occultae et clandestinae damnantur.

Quo graviora mala etc. In hac Constitutione Summus Pontifex longius prospiciens insidias, quas Christiani nominis hostes moliuntur ad Christi Ecclesiam (quod nunquam assequentur) exterminandam, insertis etiam Constitutionibus hac de re Clementis XII. cui initium *In eminenti* edita quarto Calendas Maii an. 1738; Benedicti XIV. quae incipit *Providas* decimoquinto Calendas Apr. 1751, Pii VII. cuius prima verba *Ecclesiam a Iesu Christo* anni 1821 Idibus Septembris, » muneris sui esse censet iterum clandestinas sectas condemnare, atque ita » quidem, ut nulla ex iis iactare possit, se Apostolica sententia non » comprehendi, atque hoc praetextu homines incautos et minus acutos » in errorem inducat.

» Quocirca omnibus et singulis Christi fidelibus cuiuscumque status, » gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, ac praeeminentiae, sive Laicis » sive Clericis tam Saecularibus quam Regularibus, etiam specifica » et individua mentione et expressione dignis, districte et in vir- » tute sanctae obedientiae praecipit, ne quis sub quovis praetextu aut » quaesito colore audeat vel praesumat praedictas societates, (tam quae

» nunc sunt, quam quae fortasse deinceps erumpent, et quae ea sibi » adversus Ecclesiam et supremas civiles Potestates proponunt, quae » in hac sua Constitutione commemorat Pontifex) quocumque nomine » appellentur, inire, vel propagare, confovere, ac suis in aedibus seu » domibus vel alibi receptare atque occultare, illis et cuicumque earum » gradui adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem seu com» moditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, » seu alias consilium, auxilium, vel favorem palam aut in occulto, » directe aut indirecte, per se vel per alios quoquo modo praestare, » nec non alios hortari, inducere, provocare, ac suadere ut huiusmodi » societatibus aut cuicumque earum gradui adscribantur, annumeren» tur, aut intersint, vel ipsas quomodolibet iuvent ac foveant, sed » omnino ab iisdem societatibus, earumdem coetibus, conventibus, » aggregationibus, seu conventiculis prorsus abstinere se debeant, sub » poena excommunicationis per omnes ut supra contra facientes eo ipso » absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, » nisi per Romanum Pontificem pro tempore existentem, practerquam » in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

» Praecipit praeterea omnibus sub eadem excommunicationis poena » Romanis Pontificibus reservata, ut teneantur denunciare Episcopis, » vel caeteris ad quos spectat eos omnes, quos noverint his societa» tibus nomen dedisse, vel aliquo ex iis criminibus quae modo com» memorata sunt se inquinasse.

» Praecipue vero iusiurandum illud impium plane ac scelestum, quo » se obstringunt qui in has sectas cooptantur, nemini patefacturos quae » ad illas sectas pertinent, et morte mulctaturos eos omnes sodales » qui ea Superioribus sive Ecclesiasticis sive Laicis patefaciunt, om» nino damnat et plane irritum declarat.....

Excitata Episcoporum omnium vigilantia, Catholicorum Principum praesidium flagitat, quod » in eo discrimine res hoc tempore versetur, » ut non modo ad Catholicam Religionem defendendam, sed at tuen» dam etiam propriam et populorum imperio subiectorum incolumita» tem, sectae illae ab ipsis coercendae sint......

Fideles denique omnes monens ut harum sectarum homines omnino devitent, et caveant ab eorum blanditiis et mellitis sermonibus, quibus

suadent, ut nomen illis sectis detur, quibus ipsi adscripti sunt, concludit eos, qui cum iam essent illuminati et gustavissent donum caeleste, et participes facti essent Spiritus Sancti, deinde tamen miserrime prolapsi sunt, et sectas illas sequuntur, sive in inferioribus sive in superioribus earum gradibus versentur, peramenter ad se vocando."

EXCOMMUNICATIONES

Latae sententiae Papae reservatae, quarum scientia Confessario videtur magis necessaria.

Iisdem ligantur

1° Clausuram Monialium violantes. *Bulla* 74 *Pauli V. Monialium.*

2° Foeminae ingredientes Religiosorum coenobia. *Bulla* 20 *Pii V. Regularium.*

3° Simoniaci in Ordine, vel Beneficio. Extrav. *Detestabile, de Simonia, et Bulla* 85. *Pii IV. Romanum Pontificem, et Bulla* 85. *Pii V. Intollerabilis.*

4° In beneficium Ecclesiasticum se intrudentes. in *Conc. Trid. sess.* 12. *cap.* 11. *de Reform.*

5° Simoniaci in Religionis ingressu. Extrav. *Sane de Simonia.*

6° Bona ecclesiastica usurpantes, vel usurpata recipientes. *Conc. Trid. sess.* 22. *cap.* 11. *de Reform.*

7° Alienantes bona Ecclesiae, et alienari consulentes. *Bulla* 35 *Pii V. Admonet nos.*

8° Sollicitationem non revelantes intra mensem. *Bulla* 24 *Greg.* XV. *Universi.*

9° Clericorum percussores. *Can. Si quis suadente.*

10° Absoluti in articulo mortis ab excommunicatione Papae reservata se non praesentantes. *Cap. Eos qui, de sent. excom. in* 6.

11° Dogmata vel miracula aut falsas revelationes praedicantes. *Bulla* 21. *Leonis X. Supernae* §. 5.

12° Matrimonio coniungentes, vel solemniter benedicentes sponsos sine licentia Parochi. *Clement. I. de privil.*

13° Duellantes, eorumque fautores. *Bulla* 78 *Greg. XIII. Ad tollendum*, et *Bulla* 11, *Clem. VIII. Illius vices.*

14° Parochialia iura Religiosi usurpantes. *Clem. I. de privil.*

15° Confessarii absolventes complicem a peccato turpi contra VI. Decalogi praeceptum. *Ben. XIV. Constit. Sacramentum Poenitentiae*, et *Apostolici muneris.*

16° Haeretici formales et externi, eorumque fautores.

17° Haereticorum libros haeresim continentes, vel de Religione ex professo tractantes, legentes, retinentes, imprimentes, vel defendentes.

18° Cogentes aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque Religionis vel ad emittendam professionem. *Conc. Trid. sess.* 25 *c.* 18 *de Regul.*

19° Sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine iusta causa impedientes. *Conc. Trid. sess.* 25 *c.* 18. *de Regul.*

20° Immunitatem ecclesiasticam, locorumque ea gaudentium violantes. *Bulla* 7 *Greg. XIV. Cum alias*, et *decr. Clem. VIII.*

21° Absolventes a casibus reservatis absque facultate. *Decr. Congr. Ep. et Reg. confirmatum a Clem. XIII.*

DECLARATIONES
OMNIUM CASUUM RESERVATORUM
IN DIOECESI VERCELLENSI

Editae a fel. rec. Iosepho Maria Grimaldi Archiepiscopo Praedecessore Nostro, et in hac Synodo probatae.

DE RESERVATIONE IN GENERE.

Ante declarationes singulorum casuum, qui Nobis reservantur, opportunum ducimus nonnulla exponere, quae eosdem casus in universum spectant. Venerandos tamen Sacerdotes praemonemus, Nobis haec evulgantibus, non eam esse mentem, ut velimus diiudicare, et improbare Theologorum sententias, quae forte Nostris declarationibus aliquando non cohaereant. Non est hic locus expendendi, definiendique quaestiones. Nobis potius in animo est quaestionibus, dubitationibusque multis locum tollere, planiorem animarum moderatoribus sternere viam, iis traditam sacram potestatem minus arctare, quo magis expediti maiorem in earumdem animarum morbis curandis operam ponere valeant.

Qua etiam causa permoti sumus cum in Patentibus Literis ad Confessarios datis declaravimus *in prudenti dubio juris*, idest in illo, quo non leviter, sed *rationabiliter* dubitatur, num peccatum certe commissum Nostra reservationis lege comprehendatur, eique subsit, in tali, inquam, dubio culpam non esse habendam ut reservatam. Abstulimus igitur, stante huiusmodi dubio, reservationem de quocumque crimine agatur Nobis reservato. Caeterum, seclusa illa declaratione, Sacerdos necessaria pro reservato casu facultate destitutus non debet poenitentem absolvere in *dubio iuris* ex quo dubia fieret potestas absolvendi. Nec propterea nimia benignitate agendum erit cum iis confitentibus, quos satis constat graviter deliquisse, etsi de reservatione dubitetur.

Itaque agentes imprimis de reservatione in genere dicimus

1° Nullum peccatum reservationi subesse, nisi grave sit, et mortale, etiam in actione exteriori: proinde peccata tantummodo interna, aut externa quidem, sed venialia vel in se, vel ob defectum sufficientis advertentiae, aut consensus, vel alia quacumque ex causa uti venialia habenda, reservatione non afficiuntur.

2° Peccatum tametsi grave etiam prout exterius, si tamen consummatum in suo genere non fuerit, seu perfectum, reservationem effugiet, nisi aliter statuerit reservationis lex.

3° Ad reservationem praeterea requirimus, ut peccatum sit certum, ea facti certitudine, quae excludat omne dubium prudens.

In dubio facti versatur, qui non ex levi causa, sed post praemissum accuratum pro rei gravitate examen, vel post consultum doctum, prudentemque Confessarium dubitat, v. g. an commiserit illud peccatum, quod in Tabella reservatorum descriptum est -- an grave fuerit, vel leve -- an commiserit ante, vel post quatuordecim annos expletos -- an illud peccatum reservatum approbatum, an minus -- an iustam ob causam timeat, ne ob defectum dispositionum, vel alia de causa irrita fuerit absolutio ab illo peccato obtenta.

Haec dubia gravibus innixa rationum momentis immunem praestant a reservatione, adeout quilibet Confessarius ab illo peccato absolvere possit.

Animadvertendum tamen, in his prudentibus facti dubiis evanescere quidem reservationem peccatorum; secus tamen si dubites, an reservatam censuram incurreris, nam nisi prudenter dubium excusseris, ac deposueris, debes tibi providere per opportunam absolutionem.

Quod vero spectat dubium iuris, quo extante, superius diximus cessare reservationem, loquimur sane non de qualicumque dubitatione, sed de prudenti, rationabili, et gravi, ut iam superius innuimus, cum nempe Confessarius, vel alii doctrina praestantes, aut meliores moralis disciplinae tractatores dubitant, an illud peccati genus reservationis lege comprehendatur.

4° Reservatio non complectitur mandantes, consulentes, aliosve quomodolibet cooperantes, nisi reservationis auctor illos expresse comprehenderit.

5° Quae requiratur aetas ad Dioecesanam reservationem incurrendam, quaeve ignorantia ab illa excuset, iam praestitum est in Literis Patentibus ad Confessarios directis.

Verumtamen ut praevertantur dubietates, quae hinc suboriri adhuc possent, haec duo addere iuvat. -- *Primo.* Ignorantia etiam crassa, dummodo non affectata, neque affectatae aequiparanda excusabit a reservatione homines Laicos, et Clericum Sacerdotio nondum initiatum. *Secundo.* Iam praemonitum est in dictis Literis, nullam Dioecesanam reservationem scriptam in illos esse, qui decimum quartum aetatis annum nondum excesserint (exceptis casibus de quibus infra): cum vero fieri possit, ut peccatum reservatum commissum ante quatuordecim annos expletos Confessioni Sacramentali subiiciatur, postquam illa aetas advenerit, poterit nihilominus quilibet Confessarius ab illo absolvere.

6° Poenitens, qui bona fide, et rite dispositus confessus fuit peccata reservata apud Confessarium pro illis non approbatum, qui ex ignorantia, aut inadvertentia, vel etiam sciens ab illis absolverit, si nihil aliud obstet, valide absolutus esto; neque vero, si postea Poenitens id resciverit, tenebitur illa reservata iterum subiicere Clavibus Ecclesiae: In his enim rerum adiunctis reservatio habebitur velut suspensa, seu potius censebitur indulta Confessario opportuna facultas.

7° Dicimus quoque absolutum fore Poenitentem, qui bona fide, et ex ignoscenda oblivione (idest non graviter culpabili) peccata reservata praetermisit in Confessione cum debitis caeteroquin dispositionibus instituta apud Confessarium pro omissis peccatis reservatis non approbatum: Quod si forte memoriae occurrerint, debet quidem hic Poenitens illa denuo confiteri, ut Confessionis integritatem suppleat, sed necesse propterea non erit, ut Confessarium adeat approbatum pro illis reservatis, quae omiserat.

8° Poenitens, cuius intuitu Confessarius impetraverat a Superiore facultatem pro aliquibus reservatis puta pro tertio, aut quarto nominatim expositis, si forte antequam Sacramentali absolutione donetur in eadem relabatur, poterit Confessarius illum absolvere ab omnibus, etiamsi Confessarius in impetranda facultate, et Ordinarius in concedenda intenderint illam coarctare ad sola reservata sibi exposita semel, aut pluries commissa: excipe tamen nisi Superior in conferenda facultate expresse relapsum excluserit.

9° Idem esto si hic Poenitens ante perfectum iudicium per Sacramentalem absolutionem meminerit quorundam reservatorum, quae ex oblivione omiserat in anteactis Confessionibus; dummodo specie non differant ab iis reservatis, quae in impetrata facultate continebantur; prius tamen iteratis Confessionibus, in quibus illa omissio secuta fuit, si forte sacrilegae fuissent, aut de earum validitate non leviter dubitetur.

10° Qui absolutionem accepit a reservatis expositis in Confessione sacrilega, aut merito suspecta, seu dubia, emissa apud Confessarium pro illis approbatum, poterit idem Confessarius illum alia vice (nec amplius) ab iisdem absolvere, quin opus sit iterata facultatis impetratione, etiamsi Superior in illa impertienda usus fuisset illa formula *pro hac vice tantum.*

11° Postremo illud admonere supervacaneum non erit, exclusum semper fore Confessarium quemcumque respectu illorum, illarumve Poenitentium, quibuscum complex, seu socius fuerit, ad praescriptum ultimae Synodi Dioecesanae ... *De Sacram. Poenitentiae.* Pag. 78. (1).

(1) Quod idem confirmatum est in hac Synodo pag. 66.

INTERPRETATIO

IN CASUS RESERVATOS IN SPECIE.

I.

Blasphemia in Deum, aut Sanctissimam Virginem Deiparam.

1° Hac reservatione plectitur Blasphemia, seu contumeliosa de Deo, aut Sanctissima Dei Matre locutio, sive ore enunciata, sive scripto, nullo etiam praesente teste, et quamvis absit directa, sive expressa intentio blasphemandi, seu contumeliam inferendi.

2° Blasphemans, tametsi ex ioco, hac reservatione comprehenditur, quia in casu praesenti gravis semper habenda est iniuria, seu contumelia, etsi ex ioco illata.

3° Excusat autem a reservatione

Primo. Subita et vehemens animi turbatio, quae advertentiam praevenerit, adeout prius in verba blasphema quis prorumperet, quam ad eorum sensum adverteret:

Secundo. Repentinus irae motus, et inadvertentia, nisi blasphemia culpanda fuerit in causa, nempe in perversa blasphemandi consuetudine neglecta, quam scilicet blasphemans emendare, et abiicere vel omnino, vel multum neglexit.

Tertio. Blasphemia materialis, cum scilicet ignoratur sensus verborum, quibus illa enuntiatur, si tamen ignorantia non sit graviter redarguenda. Non excusatur tamen, qui etiamsi ignoret verborum vim, novit tamen illis verbis blasphemiam aliquam contineri ex communi opinione hominum, qui docti sunt, vel saltem de Religione bene sentiunt: sicut etiam ex inadvertentia excusationem perperam obtenderet homo ebrietati ex consuetudine addictus, qui, dum vino obrutus est, solet in blasphemias erumpere, quas praevidere poterat, et debebat.

4° Quamvis autem blasphemia, ut eius nomen indicat, delictum sit oris, non operis; attamen inspecta ignominia, et contumelia, a qua suam improbitatem haurit, gravior aliquando, et atrocior est blasphemia opere commissa: Puta si quis nutum, signum, gestum obscoenum, aut minacem, aut quomodolibet iniuriosum in effigiem Dei, aut Sanctissimae Dei Matris dirigat, aut eo impietatis quis pervenerit, ut in eorumdem Sacratissimum Simulacrum expuat, vel ex contemptu confringat, vel pedibus obterat etc. Quapropter hunc etiam blasphemandi modum reservationi subiicimus.

5° Tandem Confessarii etsi ad hunc Casum approbati caveant, ne absolvant a peccato blasphemiae, quae adiunctam habeat formalem haeresim, tametsi occultissimam, quippe summo Pontifici reservatam.

II.

Periurium in quocumque iudicio, etiam sine damno tertii.

1° Periurii reus est, et huic reservationi obnoxius qui certus de falsitate rei, vel non leviter dubitans de rei veritate, rem illam in foro seu Ecclesiastico, seu Civili sub iurisiurandi religione velut indubiam, et veram affirmat, etiamsi dicat, sibi defuisse intentionem iurandi:

2° Si quis verum iurat, quod ex errore credebat, aut dubitabat esse

falsum, periurus quidem est in animi dispositione, et ob conscientiae reluctantiam; verumtamen ab hac reservatione immunis esto.

3° Qui iurat tamquam testis *de visu*, cum sit tantum testis *de auditu*, reservationem incurrit velut periurus.

4° Sicut etiam qui coram Iudice quocumque legitimo, et iuridice interrogante iurans utitur aequivocationibus, amphibologiis, vel restrictione *pure mentali*, atque his utens sensum mente retentum nulla ratione exterius, idest loquendo, manifestat, adeout a Iudice intelligi non possit.

5° Iurisiurandi natura non requirit necessario verbalem Divini testimonii invocationem; seu interpositionem; sed sufficit illa, quam legitima consuetudo induxit, puta manus elevatio, vel tactus Evangelii, vel, si de Sacerdote agatur, tactus pectoris.

6° Sive porro iuramentum sit voluntarium, quod nempe ex partium conventione praestatur, sive necessarium, quod scilicet a lege, vel a Iudice praescribitur, nihil refert ad praesentem reservationem.

7° Tandem Confessarius ad hunc casum approbatus periurum non absolvat, nisi prius damna, si illata sint, refecerit, si potest: sin minus nisi promiserit (nec alias culpabiliter promissis defuerit) se illa refecturum cum primum poterit. Quod si prudens Confessarius putet, fidem non esse adhibendam eius pollicitationi, prima etiam vice factae, non absolvat, nisi refectis damnis, quae reficere poterit. Atque haec ad alios casus etiam referantur, ubi de restituendi, ac damna illata sarciendi obligatione sermo erit.

III.

Parentum percussio, aut eis alimentorum denegatio.

1° Parentes hic dicuntur tum Genitores, tum ascendentes omnes paterni, et materni. Quapropter haec reservatio in illum scripta est, qui percusserit Patrem, Matremve, Avum, Aviam etc. a quibus mediate, vel immediate progenitus fuit, tametsi ex concubitu reprobato.

2° Percussio levis in se ut plurimum aestimanda est gravis ob talis personae qualitatem, praesertim si occulta non fuerit.

3° Caeterum cum in re huiusmodi recedendum absque necessitate non sit a proprietate verborum, idcirco qui in parentem expueret, aut aqua, vel pulvere aspergeret, aut per vim ex eius manibus quidquam eriperet, aut alia similia ageret, graviter quidem culpandus est (nisi forte iocando id fecerit) ob irrogatam iniuriam: At in sensu huius reservationis percussor proprie non esset, nec proinde eidem reservationi obnoxius. Hactenus quoad primam partem huius bimembris casus.

4° Quod vero spectat secundam eiusdem partem, omnes norunt alimentorum nomine non cibum solummodo venire, sed quidquid opus est ad vitam transigendam iuxta proprium statum, puta indumenta, habitationem, medicamenta in infirmitatibus, et similia.

5° Igitur qui pro suis viribus, seu facultatum modo parenti in gravi, aut fere gravi necessitate constituto haec necessaria iuxta propriam conditionem vel omnino, vel magna ex parte denegaverit, praesenti reservatione concluditur.

6° Ab alterutra culpa Confessarius, etsi ad hunc casum approbatus non absolvat, nisi prius percussor, si possit, veniam a parente tanta iniuria affecto per se, vel per alium demissis precibus imploraverit; vel nisi prius alimenta praebuerit necessitatem patienti.

IV.

Homicidium voluntarium, eique directa cooperatio, effectu secuto.

1° Illud tantummodo homicidium hac reservatione involvitur, quod non solum iniustum fuerit, sed etiam directe volitum ab occisore, nempe commissum studiose, data opera, ex proposito ad sensum Concil. Trid. Sess. xiv. Cap. 7.

2° Inter caetera, quae nimis longum esset hic recensere, voluntarium ex proposito esset homicidium commissum in duello ex condicto, designato tempore, ac loco, praevia conventione; vel etiam cum sola secreta intentione prosequendi conflictum usque ad necem alterutrius duellantis.

3° Si plures grave vulnus cuipiam inflixerint, nec discerni possit,

ex cuius vulnere is occubuerit, omnes peraeque in reservationem incidunt.

4° Item si plures communi consilio, et ex proposito se concitent, aut solum procedant ad homicidium perpetrandum, etsi unus tantum occiderit.

5° Similiter falsi testes, qui causa fuerunt, cur quispiam immerita poena capitis plectatur, si tamen illam intenderint.

6° Eadem reservatione comprehenduntur quotquot homicidio voluntario cooperantur ex proposito, mandantes imprimis, et consulentes, nisi tempestive mandatum, consiliumve revocaverint, et quidem efficacius, quoad fieri potuerit.

7° Inter cooperantes enumerandi sunt, qui ex directa homicidii intentione, seu desiderio ad illud committendum alios inducunt, vel animum addunt, vel homicidium patraturo armati assistunt, auxilium iniusto invasori ferre parati, si opus fuerit.

8° Consilio aequiparatur approbatio non quidem homicidii iam commissi, sed adhuc committendi, si ex. g. quis manifestet Sempronio determinationem, sive desiderium occidendi Caium, Sempronius autem hanc criminosam voluntatem non solum approbet, sed etiam subsidia, seu media indicet homicidio patrando apta.

9° Homicidii etiam reservati rei censebuntur illi, qui dolose, aut metu gravi incusso, aut per vim alium impediunt, quominus auxilium ferat iniuste invaso.

10° Hac eadem reservatione concluditur illud homicidium, quod etsi directe, et in se volitum non fuit, fuit tamen intentum in causa proxima cum homicidio adeo connexa, ut illam quis velle non potuerit, quin et homicidium ab illa inseparabile voluisse censeatur: ex. g. Si quis venenum apprime mortiferum cuidam propinaret non praecisa cum voluntate occidendi, sed ut illius vim experiretur, quamvis illius veneni perniciosissimum effectum exploratum iam haberet.

11° Mandatum tacitum non minus, quam expressum sic contribuere valde potest in homicidium, ut propterea huic reservationi obnoxium a Nobis declaretur. Sit exemplum: Quidam atroci iniuria affectus a Titio amarissime *ad hoc* cum filio, vel servo suo conqueritur eo praeciso fine, ut Titio necem inferat, ulturus ignominiam sibi irrogatam:

si filius, aut famulus perversum conquerentis animum, sive occisionis desiderium agnoscens Titium necet, uterque reservationem incurrit.

12° Hoc porro mandati taciti genus accommodandum pariter erit casibus procurati abortus, et excitati incendii.

13° Contra vero hanc reservationem evadunt, qui sequuntur, nempe qui ad suam, suorum, aliorumque vitam tuendam iniustum occidunt invasorem, quamvis inculpatae tutelae limites excesserint, dummodo iniusti invasoris mortem directe non intenderint, sed iustam defensionem; imo etiamsi iniqui invasoris mortem intenderint, si aliter vitam suam, aut invasi tueri non potuissent.

14° Qui leviter percutere intendens, errante manu, occiderit.

15° Excluduntur etiam ab hac reservatione mandantes, et consulentes, cum mandati, aut consilii fines servati non sunt. ex. g. si quis mandaverit percutere Sempronium, salva tamen vita, aut cum expressa prohibitione illum occidendi, vel mutilandi, mandatarius vero illum occiderit, hic unus reus erit homicidii voluntarii, ac reservati; mandans autem reus homicidii solummodo *casualis mixti* a reservatione erit immunis, quamvis ex iure Canonico vir mandans in eadem facti specie irregularis efficiatur (Cap. 3° de Homicidio, in sexto.)

16° Immunis quoque ab hac reservatione erit, qui in ebrietate licet graviter culpabili homicidium commiserit, quod non praesensit, licet praesentire potuerit, ac debuerit.

17° Item qui ex subito effervescentis irae motu homicidium perpetraverit, quod praevisum non fuit.

18° Tandem cum haec reservatio statuta sit in homicidam, nihil obstat, quominus quilibet Confessarius absolvere possit vulneratorem, quamdiu vivit lethali vulnere affectus, dummodo prius omnino, vel saltem magna ex parte satisfaciat pro viribus damnis iam illatis. Quod autem attinet ad omnia damna, quae ex vulnere, vel vulnerati morte postea emerserint, vide dicta sub Tit. 2° N.° 7. in fine.

V.

Abortus ex industria procuratio, licet effectu non secuto.

1° Huic reservationi subest, quisquis ex animo, ex proposito, cum directa intentione *efficiendi* abortum, seu *desiderio* quidquam facit, aut omittit, quod idoneum sit ad praematuram foetus eiectionem, vel ad illum disperdendum in ipso matris utero, etiamsi nondum fuerit animatus, quamvis talis procuratio effectum non habuerit.

2° Eidem reservationi subiiciuntur quotquot abortui scienter, et cum praedicta intentione cooperantur mandato, auxilio, consilio, aut quolibet modo; nisi tempestive, seu ante causae abortivae applicationem, illa revocaverint pro viribus.

3° Item qui dissimulant, aut permittunt abortum, quem impedire possunt, et debent: ex. g. si pater, materve dissimulent, ut filia, quae ex criminoso concubitu uterum gerit, foetum explodat, aut explodere nitatur; vel si ex proposito, aut desiderio abortus filiae amare exprobrent infamiam, qua tum ipsa, tum consanguinei, et propinqui aspergentur, ac gravia damna, quae subituri essent, si ignominiosum delictum evulgetur. Haec enim, et similia aequiparantur mandato, vel consilio tacito, si praeviderint, aut facile praevidere potuerint fore, ut filia sibi procuratura sit abortum.

4° Ab hac reservatione immunis est foemina praegnans, quae periculo se exponit abortionis, etiamsi illam praevidere debuisset, et timuisset secuturam, dummodo illam non intenderit, aut desideraverit; aliud enim est agere cum periculo, aut timore abortus, aliud cum illius desiderio efficaci, aut intentione.

5° Cum vero casuale, et directum quandoquidem non tantum ex facto, sed etiam ex animo aestimandum sit, hanc reservationem non declinabit foemina uterum gerens, quae cum intentione abortus immoderate saltet, vel strictiori se cingat zona; vel iam experta, se abortum pati, quando nimiis ponderibus humeros subiicit, cum praedicta intentione illa portanda suscipiat.

6° Multoque magis in reservationem incurrit, qui cum perversa in-

tentione abortus mulierem gravidam graviter percutiat, aut subitum, ac vehementem eidem incutiat terrorem, dummodo prudens Confessarius iudicaverit huiusmodi, aliasve similes caussas idoneas fuisse ad abortum efficiendum. Hactenus de foetus cuiuscumque procurata abortione, etsi effectu non secuto.

7° Quod vero spectat procurantes abortum foetus animati, et cum effectu, illud in praesens animadvertere oportet, his delinquentibus inflictam esse ipso iure excommunicationem, quam Gregorius XIV. Episcopis speciatim reservatam voluit. Quapropter Confessarius ad casum abortus approbatus non posset sine speciali delegatione absolvere a casu abortus foetus animati, si effectus venerit. Hinc monentur Confessarii ut occurrente hoc casu postulent, et obtineant a Nobis specialem delegationem, qua possint ab excommunicatione absolvere.

8° Neque silentio praetereundum est, in hoc uno crimine duplicem concurrere reservationem, abortus nempe procurati, et homicidii voluntarii. Facta tamen Sacerdoti facultate absolvendi a crimine abortus foetus animati, ei necesse non erit habere, vel impetrare facultatem aliam absolvendi ab homicidio.

9° Quod attinet ad alias poenas consulendae sunt Constitutiones Sixti V., et praesertim Gregorii XIV. Profecto si constat, immaturum foetum, cuius abortus cum effectu procuratus est, fuisse animatum, incurritur irregularitas, quae tametsi occulta Summo Pontifici reservatur, utpote orta ex homicidio voluntario.

10° Immo haec irregularitas incurritur etiam in dubio facti, scilicet in dubio de homicidio a Sacerdote commisso; ideoque in dubio de homicidio commisso ab eodem per procurationem abortus foetus animati. Ex Cap. 12. et 18. de Homicidio.

11° Tandem non abs re erit admonere Sacerdotes ad Sacramentales Confessiones excipiendas admissos, ut prae oculis habeant, quae postrema Dioecesana Synodus statuit de Confessario complice cum Poenitente in crimine abortus, necnon veneficiorum, et sortilegiorum. (Tit. de Sacr. Poenit.)

VI.

Detentio Infantium in lecto aetatis anno nondum expleto, omissa cautione cunarum, vel firmi alterius repaguli.

1° Hanc reservationem incurrunt Mater, Nutrix, et quotquot sive viri, sive foeminae infantem minorennem secum in lecto detinent sine repagulo satis firmo, quod removendo suffocationis periculo idoneum fuerit.

2° Satis liquet, scriptam esse hanc reservationem in solam detentionem minorennis infantis in lecto sine opportuna cautione ob periculi praesumptionem, quae semper inest, etsi in peculiaribus nonnullis casibus nullum periculum subesse videatur: alioquin nemo in hanc reservationem incideret, quia omnes facile sibi adblandiri possent, nullum unquam timendum esse periculum.

3° Attamen cessat reservatio in iis specialibus circumstantiis, in quibus morali certitudine constat, nullum imminere periculum suffocationis, quod Parochi, vel Confessarii prudenti iudicio dimittitur.

4° Sicut etiam Parochi, vel docti Confessarii erit expendere, an caussae extraordinariae, quae in quibusdam casibus particularibus interdum emergunt, tales sint, ut coniuges, aliique infantem in lecto detinentes hac lege solvi quandoque possint, ac sine culpa praescriptam cautionem omittere.

5° Caveant tamen Animarum Curatores, ne nimia hac super re utentes indulgentia gravis se peccati reos constituant.

6° Tandem qui infantem post annum a nativitate transactum, idest completum, secum in lecto detinent indiscriminatim, et sine ulla firma cautela, reservationem quidem declinabunt; culpandi tamen sunt, et forte etiam graviter pro ratione periculi suffocationis, qui adeo tenellam aetatem temere exponunt.

VII.

Incestus cum persona spirituali cognatione coniuncta, vel cum persona consanguinea in primo, et secundo gradu, aut cum affini in primo tantum gradu.

§. I.

Incestus cum persona spirituali cognatione coniuncta.

1° Quid sit cognatio spiritualis, ex quo fonte manet, quasve complectatur personas nullus Confessarius ignorat, vel ignorare debet. Iamvero reservatio, de qua hic agitur, afficit incestum consummatum, vel patratum etiam sola vasis naturalis penetratione, etsi ad copulae complementum nihil amplius peractum sit: talem, inquam, incestum afficit, patratum a personis invicem coniunctis spirituali cognatione contracta occasione Baptismatis.

2° Cum multis in casibus dissideant inter se Doctores an locum habeat spiritualis cognatio, affirmantibus aliis, aliis contra negantibus; proinde ne praesens reservatio latius pateat, quam par est, sepositis Doctorum dissidiis, ratum sit, contrahi hanc cognationem ad effectum huius reservationis

Primo. In Baptismo cum ritu solemni, et valido:

Secundo. In Baptismate cum solemni ritu sub conditione renovato ob prudens dubium de praecedentis Baptismi validitate:

Tertio. In Baptismate solemniter administrato, cuius validitas postea in dubium revocata fuerit:

Quarto. In Baptismo privato non contrahitur nisi a Baptizante, exceptis tamen parentibus, qui suam prolem legitimam aqua salutari abluerint necessitate urgente, nulloque praesente, qui huic officio sit, aut videatur idoneus:

Quinto. Idem esto iudicium, etiamsi Sacerdos, vel alii Clerici, aut Laici satis huic officio idonei praesentes quidem fuerint, sed parens subito terrore perculsus gravissimi periculi, quod puerulo imminebat,

illum baptizasset: in tanta enim necessitate vix suppetit deliberandi tempus:

Sexto. Qui per Procuratorem infantem e sacro fonte suscipit, ipse tantummodo cognationem contrahit, non Procurator, etiamsi hic intentionem haberet suscipiendi suo nomine:

Septimo. Susceptor, qui errat in persona infantis suscepti, hac cognatione obstringitur, si tamen intentionem habuerit levandi e sacro fonte infantem, quem ob oculos habebat:

Octavo. Si Susceptores electi, seu designati fuerint a parentibus, vel ab aliis, ad quos haec designatio spectat, et a Parocho, sive ab alio deputato Baptismi Ministro admissi fuerint, ii Susceptores soli contrahunt cognationem, non alii ultra designatos:

Nono. Necesse non est, ut Susceptores intendant hanc cognationem contrahere, sed sufficit munus Patrini exercere deliberate, prout est ab Ecclesia institutum, seu intentionem generalem habere faciendi, quod faciunt alii Patrini: quo posito cognationem contrahit ille, qui hanc contrahere forte nollet:

Decimo. Neque etiam ad eandem contrahendam opus est, ut Susceptores respondeant ad interrogata in Catechismo, qui sacram ablutionem praecedit:

Undecimo. Non pauci sunt, qui licet designati a Susceptoris officio merito repelluntur, quos postrema Synodus Vercellensis recenset Titulo de Sacram. Baptismi pag. 40.; verum si Parochus temere, vel ex ignorantia semper redarguenda illos adprobaverit, cognationem contrahunt, exceptis non Baptizatis, et iis, qui ob aetatem, vel aliud impedimentum usu rationis destituti essent:

Duodecimo. In omnibus aliis casibus, praeter superius recensitos, cognatio, siquae contrahitur, pro non contracta habenda est quoad praesentem reservationem incurrendam.

Ex praeiactis vero pronum est inferre quinam in hanc reservationem incidant ob incestum commissum cum persona cognata spirituali.

§. II.

Incestus cum Persona consanguinea in primo, aut secundo gradu, aut cum affini in primo tantum gradu.

1° Sive consanguinitas, sive affinitas ortum habuerit ex iustis nuptiis, sive ex illicita coniunctione, perinde est quoad hanc reservationem.

2° Incestus necesse est ut consummatus sit, scilicet iuxta praedictum sensum (§. primo N.° 1° huiusce casus septimi); quod semel hic declaratum ad alios omnes carnales infra notatos congressus referendum pariter erit, nisi aliter in loco declaretur.

3° Alterutro incestuoso existente infra secundum gradum consanguinitatis, vel infra primum affinitatis, nulla, ut patet, occurrit reservatio. Nec forte supervacaneum est hic animadvertere, graduum supputationem faciendam iuxta Ecclesiae Canones, prout a theologis fieri solet.

4° Incestus a culpa immunis sane excusat a reservatione innocentem, non item reum.

5° Excusatur ab hac reservatione, qui incestum committit ex errore personae, velut Iudas cum Thamar.

6° Item qui foeminam incestat, quam sibi consanguinitate, aut affinitate coniunctam ignorabat.

7° Solius tamen gradus ignoratio legitimam non praebet excusationi caussam, ac reservationem non tollit.

8° Tandem non abs re erit illud advertere, coniugem per incestum scienter commissum, omnino completum, seminis effusione consummatum in primo gradu affinitatis (*) cum consanguineis uxoris, non solum hac reservatione affici, sed praeterea contraxisse cum propria uxore impedimentum affinitatis, ob quam (praeter amissionem iuris exigendi debiti ex adulterio profectam) privatur iure petendi eiusdem debiti coniugalis, donec per opportunam ab ipso impedimento dispensationem sibi providerit. Quotiescumque tamen alicui facultas detur absolvendi ab hoc casu, eidem quoque a Nobis semper fit facultas re-

(*) Cap. de eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae, vel sponsae.

stituendi coniugem in amissum ius petendi debiti, simulque ab impedimento praedicto dispensandi.

9° Quod si incestum commiserit cum uxoris suae consanguineis in secundo gradu, reservationem quidem declinabit, non item impedimentum affinitatis cum propria uxore contractae.

10° Idem erit de uxore, quae a mariti consanguineo in praedictis gradibus se incestari permiserit.

11° Viderit autem prudens Confessarius, an admonere debeat incestuosum coniugem de amisso iure petendi debitum a comparte: an potius expediat dissimulare, donec, impetrata a Nobis facultate, illum in prima Confessione absolvere possit, et simul dispensare a contracta affinitate, vel tantum, absolutione opportune dilata, dispensare ab impedimento contractae affinitatis.

VIII.

Stuprum cum violentia.

1° In hanc reservationem incidit, qui reluctantem, et resistentem virginem, vel quae vulgo veluti virgo habetur, constupraverit per carnalem congressum, etiamsi violento aggressori omnimode, et pro viribus illa non repugnaverit.

2° Eadem reservatione comprehenditur Sponsus, qui, Matrimonio nondum celebrato, virgini sibi desponsae stuprum per physicam vim intulerit; immo hoc uno crimine duplici se subiicit reservationi; praesenti nimirum, et alteri, quae infra explicatur. In hac tamen facti specie ad absolvendum satis erit Confessario habere facultatem pro alterutro casu superius notato.

IX.

Copula inter sponsos, et sponsas ante celebratum Matrimonium.

1° Huius casus interpretatio eo spectat, ut palam fiat, locum habere reservationem sive sponsalia valida sint, sive nulla ex caussa quacumque; sive sincere, sive ficte, aut dolose inita sint ex una parte contrahentium; sive absoluta fuerint, sive conditionata; sive occulta, sive nota.

2° Sponsus, qui a sponsa omnimode, aut non parum reluctante copulam extorserit, ipse unus incidet in hanc reservationem, a qua immunis erit sponsa, quamvis etiam in actu criminis intus consenserit.

3° Si quis nebulo quampiam ad carnalem inter se copulam induxerit sub futuri inter se coniugii promissione, cui repromissio foeminae accedat, ambo huic reservationi subsint, sive promissio sincera fuerit, sive minus sincera ex una parte.

4° Detecta, et multis nota initorum sponsalium nullitate, et sublata omni spe promissi Matrimonii contrahendi, aut etiam facta validorum sponsalium rescissione, quae multis innotescat, casualis talium Sponsorum concubitus huic reservationi non suberit.

X.

Lenocinium in uxores, seu filias, sive alias foeminas.

1° Lenones, seu alienae obscoenitatis conciliatores infames in duas classes secernuntur: In prima collocantur Maritus, qui uxorem, Parentes, qui filiam tametsi illegitimam prostituunt, vel ad prostituendam contribuunt, etsi semel tantum, et quocumque fine ducantur, sive spe lucri, seu forte alia quacumque ex caussa, etiamsi filia, vel uxor iam ad sui prostitutionem sponte paratae essent; etiamsi e contrario istae ad turpe illud crimen concitatae, aut pertractae eodem se minime foedaverint.

2° Velut parentes hic habendi sunt etiam avus, et avia respectu neptis, sicut vitricus, et noverca respectu privignae.

3° Porro multifariam ad prostitutionem concurri solet, blanditiis nempe, muneribus, precibus, aut minis, approbatione criminis committendi, consilio, hortatione, studiosa dissimulatione nimiae consuetudinis, seu familiaritatis filiae, aut uxoris cum amasio, vel frequentis cum eodem solitariae conversationis ea precisa intentione, ut ab amasiis in adeo periculosa, et lubrica occasione sollicitatae crimini cedant.

4° De lenocinio etiam culpandi sunt, si prostitutionem non impediant, cum id sine gravi incommodo possunt.

5° Hi autem omnes reservati lenocinii rei censeri debent: Sic etiam reservationem non effugiunt parentes, et mariti, qui etsi nullo modo concurrerint ad filiae, uxorisve prostitutionem, neque in illam antea consenserint, tamen scienter, nec ulla gravi necessitate urgente, non erubuerint participare de lucro abominando, quod sui corporis copia sibi ipsae compararunt.

6° Item parentes, vel mariti, qui filiam, aut uxorem ad sui prostitutionem quodammodo compellunt per iniustam denegationem eorum, quae ad congruum victum, et indumenta sunt necessaria pro sua conditione: incidunt vero in reservationem, cum actu praevident, aut non temere suspicantur, per turpem sui corporis quaestum ipsas ea sibi comparaturas, quae per iniuriam a marito, vel parente denegabantur.

7° Secunda lenonum classis complectitur omnes utriusque sexus, qui cuiuscumque foeminae pudicitiae foedandae infamem impenderint operam. Lenones autem in hac secunda classe comprehensi reservationem non incurrunt, nisi directe foeminam pelliciant ad sui prostitutionem seu verbis, seu facto, ex. gr. Si seducentibus pollicitationibus illam ad crimen pertrahant, vel intentatis minis, aut gravi metu incusso ad prostitutionem impellant, aut opportunam occasionem studiose eidem suppeditent eo fine ut crimini se dedat.

8° Sive porro filia, uxor, aliaeve foeminae mediatori infami consenserint, sive obstiterint, peraeque viget reservatio, utpote quae in lenones scripta est, non in lenocinii effectum.

9° Haec denique reservatio complectitur et meretricum lenones, et

proxenetas, sive viros, sive mulieres, qui quomodolibet turpi huic crimini perpetrando operam praebent; et omnes vel semel tantum lenocinii reos.

XI.

Sodomia sive perfecta, sive imperfecta, etiam incompleta -- Bestialitas etiam solummodo incoepta.

§. I.

1° Nefandum scelus, quod inter personas eiusdem sexus patratur (quae vera, et proprie dicta sodomia est), aut etiam quod patratur inter personas sexus dissimilis (utrumque sane contra naturam), seu completum fuerit, seu minus, hac reservatione comprehenditur.

2° Agens primo, deinde patiens, qui nihil, aut leviter alterum repellere nititur, peraequae comprehenduntur; sicuti etiam coniuges congredientes contra naturae ordinem; idest omisso vase naturali, huic reservationi sunt obnoxii; demum impuberes post decimum annum completum.

§. II.

Bestialitas etiam solummodo incoepta.

Horrendum hoc libidinis monstrum tametsi opere tantummodo inchoatum, quocumque fiat modo, hac reservatione continetur, a qua ne impubes quidem sit immunis, si tamen decimum aetatis suae annum praetergressus fuerit.

XII.

Incendium consulto, et data opera excitatum, tum illius mandatum.

1° Si quis privata potestate rebus alicuis scienter, et ex proposito ignem apposuerit, et incenderit ad grave usque damnum, quocumque fine id fecerit, hac reservatione implicatur; qua itidem obstringitur, qui mandato in illud contribuerit, nisi perniciosam mandati impressionem per opportunam, ac tempestivam revocationem delere studuerit. Huc faciunt, quae de tacito mandato praelibata sunt in expositione casus de homicidio voluntario.

2° Hinc reservationi non subiicitur peccatum solius negligentiae licet gravis, ex qua incendium cum magno alterius detrimento excitatum fuit.

3° Eidem tamen reservationi suberit, qui mediate quidem, at consulto incendium excitaverit: Exemp. g. Si quis lignorum, aut palearum acervum in suo agro accumulatum incenderit eo fine, ut flamma serpens invaderet, et vastaret proximam alterius silvam, aut segetes etc; modo res e voto successerit, et grave damnum fuerit illatum.

4° Cum autem, dissidentibus doctoribus, dubitationes oriri possint circa excommunicationem, qua ex iure Canonico puniuntur incendiarii; illud ratum, et firmum sit, absolutionem ab hac censura Apostolicae Sedi non esse reservatam, nisi quando incendiarii Ecclesiastico Iudicio fuerunt ut tales publicati, ac denunciati. Hoc itaque casu excepto, incendiarium a censura excommunicationis, si qua obstringitur, absolvendi potestatem facimus Sacerdoti, cui data est facultas absolvendi a casu incendii.

5° Tandem Confessarius pro hoc casu approbatus ea recolat, quae ad casum Secundum N.° 7 tradita fuere.

XIII.

Staterarum, vel mensurarum, vel monetarum adulteratio.

1° Quid veniat nomine staterarum, mensurarum et monetarum notius est, quam ut dici debeat; adulterare autem idem est ac corrumpere, vel falsificare.

2° Quod attinet ad primam huiusce casus partem, quae stateras, mensurasque attingit, reservationem incurrunt, qui stateras, vel mensuras falsaverint, iisque in commercio usi sint.

3° Item qui dolose, et scienter iis utuntur, quae ab aliis falsificatae fuerint de ipsorum mandato, sive expresso, sive tacito, aut ex ipsorum consilio.

4° Reservationem vero effugiunt, qui iustis, seu legitimis stateris, aut mensuris utentes, emptores fraudant in pondere, vel mensura.

5° Ut autem paucis expediatur altera pars huius casus, reservatione afficiuntur, qui monetam quamcumque propria auctoritate cudunt, etiamsi iusti forte metalli, et ponderis, signatam caractere, seu imagine Principis, ac monetam huiusmodi expendunt, vel alteri dono dant uti genuinam, et si forte nullum, aut leve damnum accipientibus obveniat. Ut enim nummorum, sicut etiam staterarum, aut mensurarum corruptores huic reservationi subiiciantur, non requiritur grave damnum aliis certe, et in praesens illatum; at sufficit sola non levis adulteratio, et usus in commercio ob probabile gravis aliorum damni periculum, et ob supremae hac in re potestatis usurpationem iniquam.

6° Item reservationi subsunt, qui monetam nostratem, vel etiam in extranea Ditione cusam, et apud nos admissam radunt, vel tondent, vel quomodocumque de iusto pondere non leviter imminuunt: intellige in utroque casu, si in commercium illam vel semel emiserint.

7° Sive autem per se quis monetas falsaverit modo supradicto, sive per alium, nihil refert quoad reservationem.

8° Confessarii, qui necessaria facultate instructi ab hoc casu possunt absolvere, advertant, damna, quae emergunt ex hoc peccato reservato, plerumque eius generis esse, quae incerta dicuntur: quare consulant optimos Moralis Theologiae Magistros, ac Nostrum quoque iudicium postulent, si de re agatur non parvi momenti. Quoad damna vero certis personis, et cognitis hinc allata videant numerum septimum casus secundi.

XIV.

Iniusta usurpatio, vel detentio, aut dolosa destructio scripturarum gravis momenti ad Ecclesias, vel Loca pia spectantium in earum Ecclesiarum, aut Locorum piorum damnum.

1° Ecclesiarum nomine hic veniunt Templa omnia, sacrae Ædes Regularium utriusque sexus, Oratoria Sodalitatum, atque etiam Beneficia Ecclesiastica, necnon Capellaniae Ecclesiastica auctoritate erectae.

2° Loca pia appellantur, quae piis usibus, publicis caritatis, seu pietatis officiis sunt destinata, etiamsi nulla intercedente auctoritate Ecclesiastica fundata fuerint.

3° Scripturarum nomine generatim comprehenduntur non solum quae sub publicae fidei praesidio a publico Notario exaratae sunt, et firmatae; sed illae etiam quae privatae dicuntur, quamvis etiam in foro externo frustra praesentarentur, dummodo obligationem inducant in foro interno.

4° Scripturae censebuntur iniuste usurpatae, vel iniuste detentae, cum usurpator, aut detinens statuit illas habere uti proprias, aut etiam sine animo sibi perpetuo retinendi, celat nihilominus apud se, vel alios scripturas recondit, ne illi, quorum interest, iisdem utiliter, et opportuno tempore possint uti.

5° Dolose vero destructae censentur quum quidquam iis scienter additum est, aut detractum, seu deletum, vel aliter immutatum, quod earumdem sensum adeo perverterit, ut omnino, aut magna ex parte amiserint vim, quam antea exercebant.

6° Usurpatio, detentio, destructio scripturarum levis momenti, et ferme nullius utilitatis quoad Ecclesiam, vel Loca pia, huiusmodi reservatione non concluduntur.

7° Igitur qui scripturas non levis momenti ad Ecclesias aut Loca pia spectantes iniuste sibi, vel pro aliis sumpserint, vel contra fas detinuerint, vel dolose destruxerint, aut notabiliter vitiaverint, ac corruperint in sensu mox exposito, ii omnes hanc reservationem incurrunt, si tamen Ecclesia, aut Loca pia grave hinc damnum reporta-

verint, aut reportatura probabiliter sint ex scientis, prudentisque viri iudicio.

8° Ex quo etiam iudicio gravitas damni praesentis, aut probabiliter eventuri pensitanda est, et aestimanda.

9° Facta scripturarum restitutione, et refectis damnis, si quae Ecclesiae, aut Loco pio illata fuerint, cessat reservatio.

10° Quod si praedictarum scripturarum furator, aut quisquis ad illas restituendas tenebatur, illas in praesens restituere non possit, vel damna reparare, reservatione interim in suspenso manente, facti poenitens absolvi poterit, dummodo prudens Confessarius consulat, quoad fieri potest, Ecclesiarum, et Locorum piorum indemnitati. Quod si praedictae culpae reus in posterum non praestiterit opportuno tempore, et modo quod praestare valet sine incommodo gravi, maneat reservata eius culpa, qua debitum, et promissum, cum posset implere, magnopere neglexit.

XV.

Rationum administrationis bonorum ad Ecclesias, vel pia Loca spectantium dilata redditio ultra biennium, et mensem, nisi dilata fuerit ex iusta caussa ab eo, qui administrationi praeest, expresse approbata, vel cum licentia Superioris.

1° Hic nomine Ecclesiarum denotantur Ecclesiae Parochiales in perpetuum etiam beneficium non erectae, quorum bona praesidente Parocho administrantur: Denotantur etiam Ecclesiae Confraternitatum, et aliae habentes bona, quorum administrationis ratio reddenda est Ordinario ex Trid. Conc. (sess. 22. Cap. 9. de reform.) vel ratio aliis reddenda est una cum Ordinario, aut eius Delegato.

2° Nomine Locorum piorum veniunt illae omnes domus (quomodocumque appellentur, et quacumque auctoritate erectae fuerint) quae ad Dei cultum extructae sunt, vel ad eius Ministros efformandos, sustentandosque, vel ad excipiendos, alendosque pauperes cuiuscumque sexus, ac generis sint.

3° Nomine illius, qui administrationi praeest, is intelligitur, qui proxime, et immediate pii Loci administrationi cum potestate praefectus est.

4° Superioris vero nomine hic venit Archiepiscopus, vel eius Vicarius Generalis, aut Vicarius Capitularis Sede vacante; vel alius quilibet legitimus Superior.

5° Quamvis a culpa non sit immunis, qui absque iusta caussa, et contra Concilii Trid. decretum non reddit singulis annis rationes administrationis suae, illius tamen peccatum Nobis non reservatur, nisi elapso biennio cum mense. Hoc vero biennium cum mense ita computari debet, ut initium habeat a die, quo quis administrationi dictorum bonorum addictus fuit, vel a postremis redditis rationibus.

6° Si quis igitur Administrator bonorum ad Ecclesias, aut Loca pia spectantium ultra tempus praestitutum distulerit rationem administrationis reddere iis, quibus debetur, in hanc reservationem incidet, nisi excusetur ob aliquod iustum impedimentum, aut caussam approbatam non tacito, sed declarato consensu ab eo, qui eidem Administratori praeest, vel ab alio legitimo Superiore; vel ob prorogationem, seu dilationem sibi legitime, modo mox dicto, concessam, vel quia ratiocinatores, seu deputati ad examinandam administrationem dilationi dederint causam, vel quid simile acciderit.

XVI.

Legatorum ad pias causas ultra annum dilata solutio absque Ordinarii facultate: solutis autem Legatis, reservatio cessat.

1° Pia dicuntur Legata, quae ad pias Causas a Testatore relicta sunt.

2° Legata pia sunt, ex. gr. quae relicta fuerint Ecclesiae, Locis piis, vel pro dotandis puellis inopibus, et multo magis inopibus de honestate periclitantibus, sive ad ineundas nuptias spirituales, sive corporales: Sunt etiam Eleemosynae in subsidium pauperum Legatae; potiori iure stipendia Missarum; aut Eleemosynae in subsidium animarum, quae poenis inferorum expiantur, et similia.

3° Quod testator legaverit pauperi, non expressa caussa, praesumitur Legatum factum fuisse paupertatis intuitu, et impulsu pietatis, etiamsi Legatarius consanguinitate, aut affinitate, aut amicitia Testatori adhaereret: quod tamen sic accipiendum, idest nisi aliam legandi causam Testatori fuisse prudenter, seu satis probabiliter existimetur.

4° Annus, quo transacto, incurritur reservatio ob culpabiliter neglectam Legatorum piorum praestationem, incipit — vel a die, quo haeres noverit haereditatem sibi delatam, et Legata praescripta -- vel a die impletae, seu purificatae conditionis, si Legatum erat conditionatum — vel a die cessationis iustae caussae, quae Legatorum piorum praestationem impediebat -- vel demum a prima die post elapsum tempus a Testatore praestitutum; ex. gr. Si Testator caverit, ut pia Legata a se praescripta praestarentur intra sex menses, aut intra annum post suam mortem, dilatio solutionis non incipit nisi post sex menses, aut post annum ab obitu Testatoris computandum. Hinc anno nondum completo post illud semestre tempus, aut nondum completo altero anno post annum ad solutionem a Testatore praefinitum, eadem solutionis dilatio etsi culpabilis non erit reservationi obnoxia.

5° Si Legata ex Testatoris dispositione divisim, et per partes praestanda sunt, ex. gr. quarta pars quolibet trimestri, annus, intra quem solvenda sunt ad declinandam hanc reservationem, incipit post quodlibet trimestre elapsum.

6° Si haeres haereditatem adiverit cum Beneficio inventarii, aut cum facultate deliberandi, an haereditatem acceptare velit, obligatio solvendi Legata non incipit nisi a die, quo haereditatem acceptaverit pure, et absolute.

7° Qui in fraudem Legatarii studiose ignorare maluit haereditatem sibi delatam, et Legata imposita, perinde habebitur, ac si haec habuerit comperta.

8° Si Testator haeredis fidei commiserit, ut certum aliquod Legatum pium praestaret, procul dubio tenetur haeres ex legibus ad illud praestandum.

9° Igitur qui post elapsum annum praedicta ratione computandum Legata pia, quibus gravatus est, praestare neglexerit, sive ex toto, sive in parte non levi, in hanc incidit reservationem, quam interim

suspendit facultas differendi solutionem Legati ab Ordinario accepta, aut iusta causa, quae a gravi culpa excuset.

10° At enim cum Ordinarius nec velit, nec possit hanc contra iura dilationem concedere absque iusta, ac legitima caussa, debitori Legatorum piorum nihil prorsus ad evadendam reservationem suffragabitur licentia, quam Ordinario forte surripuerit, vera et iusta causa non extante.

11° Cum non raro sub praetextu iustae causae Ordinarii facultas impetretur, et Legatorum praestatio differatur ultra tempus praescriptum; penes doctum prudentemque Confessarium erit expendere, an caussa allegata pro hac dilatione iusta revera sit, et legitima.

12° Eadem reservationis lege concluduntur Tutores, et Curatores: idemque dicatur de Executoribus testamentariis, de debitoribus quibuscumque piorum Legatorum, ac de caeteris omnibus, qui ex mandato, aut etiam sine mandato sponte administrant aliena bona haereditaria pii Legati onere gravata.

13° Qui ante transactum annum Legata pia praestiterit, reservationem quidem effugiet, at perperam hinc colligeretur, posse per integrum annum tuta conscientia illorum praestationem differri. Nam cum ex iustitiae praescripto Legata debeantur statimac incoepit illorum solvendorum obligatio, profecto a gravi peccato immunis non esset, qui illa, aut illorum notabilem partem solvere negligeret sine iusta causa, etiamsi per paucos menses.

14° Tandem textus Legis reservantis indulget, ut facta Legatorum solutione, cesset reservatio. Quid vero, si Legatorum piorum debitor illa intra annum solvendo non esset sive adverso casu, sive etiam propria culpa? Cesset nihilominus reservatio, seu verius in suspenso pendeat, dummodo resecatis supervacaneis impensis, et vita ad honestam parsimoniam, etiam aliquantum infra propriam conditionem composita, satagat se in eo statu collocare, ut suae obligationi, quoad poterit, satisfaciat quantocius: Quod si facta copia, seu facultate solvendi, Legatum adhuc ex toto, vel ex aliqua non levi parte minime solverit, ac distulerit, statim reviviscet reservatio.

XVII.

Clandestina Matrimonia non modo contracta, sed etiam attentata contra formam Concilii Tridentini.

1° Quod pertinet ad praesentem reservationem, Matrimonium clandestinum contrahere, vel perperam attentare dicuntur, qui in nuptiis ineundis non servant duplicem solemnitatem, seu formam hac super re praescriptam a sacr. Concil. Trident. sess. 24 de reform. Matrim. Cap. I.

2° Prima forma, quae est praecipua, omnino requirit, ut Matrimonium duobus saltem praesentibus testibus celebretur coram proprio contrahentium Parocho, vel coram alio Sacerdote, quem Parochus delegaverit, aut Ordinarius. Haec porro forma adeo necessaria est, ut nisi adamussim servata fuerit, prorsus ruat Matrimonii validitas ex eiusdem Concilii Tridentini sanctione, proinde tunc dicitur Matrimonium clandestinum attentatum.

3° Secunda forma expostulat, ut Matrimonii celebrationem praecedat trina solemnis eiusdem proclamatio, seu denunciatio inter Missarum solemnia ex praefati Concilii Decreto; nisi opportuna intercesserit dispensatio ab Ordinario facta; cum hac praeterea animadversione, quod inter singulas denuntiationes interponendum sit intervallum saltem unius diei ex Decreto Synodi postremae Dioecesanae.

4° Haec autem forma sub gravi quidem reatu ab Ecclesia sancita est. Verumtamen illius praetermissio, etiamsi absque praevia dispensatione, non obest coniugii sic contracti validitati; quare tunc dicitur Matrimonium clandestine, et vere contractum, quia irregulare quidem est, et a sacris Canonibus improbatum, sed validum tamen.

5° Hinc colliges, quid significet Matrimonium clandestine attentatum, et clandestine contractum: primum est nullum, et irritum; secundum vero est quidem irregulare, sed validum.

6° Igitur, ut nunc accedamus ad propositi Casus interpretationem: *Primo* ob violatam praecipuam formam reservationem incurrit Parochus, qui ministerium suum praeberet celebrationi Matrimonii, cui nullus

adesset testis, vel unus tantummodo: *Secundo* Parochus, qui sine debita facultate sponsos, quorum neuter sibi subditus est, Matrimonio iungere attentaret: *Tertio*. Eadem reservatione comprehenditur Sacerdos, qui sine legitima deputatione nuptiis celebrandis se immisceret. In casibus tamen nunc allatis ex ignoscenda ignorantia, aut bona fide a reservatione excusantur contrahentes, vel attentantes, sicut et testes: *Quarto*. Hac culpa reservata implicantur contrahentes, vel attentantes Matrimonium sine praesentia proprii Parochi, vel Sacerdotis rite delegati, vel sine statuto testium numero; sicut etiam implicantur testes, qui assistunt Matrimonii celebrationi, ubi deest proprius Parochus, vel alius quidem Parochus, vel Sacerdos adsistit, non tamen legitime delegatus.

7° In secundo vero casu, quando nempe violata est secunda forma ob praetermissas ex toto, vel partim proclamationes matrimoniales sine dispensatione, reservationem incurrit Parochus, tum eius Vicarius, et quilibet Sacerdos etiamsi rite delegati, qui in hac specie deliquerint, ignorantia neutiquam excusante adeo graves omissiones. Nam Sacerdos, multoque minus Parochus ignorare sine gravi piaculo non posset gravitatem Legis a Concil. Trid. sancitae de denunciationibus Matrimonio praemittendis. At propter ignorantiam, modo non affectatam, immunes habendi sunt ab hac reservatione contrahentes, et testes: nam plures homines Laici impune ignorare possunt Legem a Sacris Canonibus statutam circa Matrimoniorum denuntiationes.

8° Cursim nunc commemorandi sunt improbi illi, qui non solum negligunt nuptiales denuntiationes, sed, quod detestabilius est, stipati testibus depravatis, aut conductitiis Parochum incogitantem de repente adoriuntur, et coram illo aperta voce declarant, se hic, et nunc velle, et intendere consentire in nuptias inter se, et tamquam virum, et uxorem se considerare. Atque illi praeter reservationem censura excommunicationis ipso facto perstringuntur: quae illos etiam percutit, qui auxilium, opem, consilium quoquomodo praebuerint: qua de re videnda Synodus postrema Tit. de Matrim.

9° Caeterum quamvis gravissimis de caussis indictae sint ab Ecclesia solemnes Matrimonii denuntiationes, liceat tamen Parocho illas praeterire quoties Matrimonium celebrandum est inter concubinarios, si

alteruter lethali, et urgente infirmitate correptus sit, tum ut, inito in iis adiunctis, et evulgato Matrimonio, reparetur scandalum, quod frequenter existit, vel ut praecaveatur scandalum, si concubinarii vulgo reputentur legitimi coniuges, unde, factis denuntiationibus, infamarentur; tum ut criminosum affectum in coniugalem convertant; vel etiam ut provideatur legitimitati, atque indemnitati prolis, si forte habeant: liceat, inquam, hoc Matrimonium celebrare, omissis denuntiationibus, si non parum incommodus sit recursus ad Ordinarium pro impetranda dispensatione.

10° In praedicto tamen casu debet Parochus ante Matrimonii celebrationem prudenter perscrutari ea, qua fieri poterit, diligentia, an intercedat inter compartes dirimens aliquod impedimentum. Neque illa ignorare debet, aut praetermittere, quae de Matrimoniis, occultis praesertim, decreta sunt in actis postremae Synodi Vercellensis tit. de Matrimonii Sacramento iuxta Constitutionem Benedicti XIV. editam die XVII. novembr. an. MDCCXLI.

XVIII.

Carnis comestio, vel subministratio ad comedendum diebus, quibus eiusdem usus ab Ecclesia interdictus est, sine legitima causa, vel licentia Superioris.

1° Quid veniat nomine Carnium apertius est, quam ut exponi debeat: neque ullus dubitaverit, quin hoc nomine comprehendatur etiam iusculum e carnibus expressum, omnesque animantium Carnes, quae ex communi Christifidelium sensu censentur interdictae, et quas nulla vetus, ac probata regionum consuetudo permissas facit.

2° Reservatio respicit eos omnes, qui sine legitima causa (uti esset gravis praesens certa infirmitas), atque eos, qui, aliqua etiam extante causa, sed quam certo non constet sufficientem esse, ac legitimam, sine licentia Superioris Ecclesiastici vetitas carnes edunt: Praeterea Caupones respicit, Tabernarios, et generatim quotquot diebus esurialibus, aut abstinentiae addictis parant sine discrimine mensam carnibus

instructam, vel carnem suppeditant iis, qui nullam vere probabilem exhibent causam, cur ab hac Ecclesiastica Lege haberi possint immunes.

3° Haec tamen reservatio illos non respicit, qui interdictas carnes minaciter petitas denegare non possunt sine praesentissimo periculo gravioris peccati (uti essent blasphemiae, et irrisiones Religionis), aut sine sui, et notabilis damni periculo, dummodo metus incussus non fuerit in formalem Ecclesiasticae Legis contemptum.

4° Nec reservatio respicit uxorem, filios, aliosque familiares a patre familias dependentes, quibus ad comedendum aliud non apponitur, vel traditur ad congruam et sufficientem sustentationem praeter cibos vetitos; neque isti obsistere possunt sine magna domesticae pacis perturbatione.

Quando S. Poenitentiariae dubia circa materiam usurae proponuntur, semper remittit ad doctrinam S. P. Benedicti XIV, quae revera sat clara et perspicua est pro iis qui bona fide eam perscrutari volunt.

Attamen sunt quidam Presbyteri, qui contendunt licitum esse percipere auctarium quinque pro centum solius vi Legis Principis absque alio titulo vel damni emergentis vel lucri cessantis: quia, inquiunt, Lex Principis est titulus legitimus, cum transferat dominium auctarii sicut transfert dominium in praescriptione, et sic prorsus annihilant legem divinam et legem ecclesiasticam quae usuras prohibent.

Cum haec ita se habeant, Orator infrascriptus, existimans nullo pacto esse licitum recedere a doctrina Benedicti XIV, denegat absolutionem sacramentalem Presbyteris qui contendunt Legem Principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem absque titulo vel lucri cessantis vel damni emergentis.

Quare infrascriptus Orator humiliter supplicat, ut sequentia dubia solvantur:

1. Utrum possit in conscientia denegare absolutionem Presbyteris praefatis.

2. Utrum debeat.

Lugduni 25 Maii 1830.

DENAVIT Prof.

Sacra Poenitentiaria diligenter ac mature perpensis dubiis propositis, respondendum censuit, Presbyteros de quibus agitur non esse in-

quietandos quousque Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subiicere, ideoque nihil obstare eorum absolutioni in Sacramento Poenitentiae.

Datum Romae in Poenitentiaria die 16 Septembris 1830.
E. De Gregorio M. P.
F. Fricca S. P. Secretarius.

4.

EPISCOPO VERONENSI

SACRÆ POENITENTIARIÆ RESPONSUM.

Sacra Poenitentiaria perlectis expositis a Ven. in Christo Patre Episcopo Veronensi in supplici libello 1. mensis nuper elapsi, abstinendum sibi duxit a resolutione quatuor dubiorum quae in ea proponebantur, sed Oratori communicat responsa data a suprema Congregatione Sancti Officii ad alia quaedam dubia eamdem materiam respicientia. Haec autem sunt huiusmodi:

1. Utrum Confessarius possit in conscientia denegare absolutionem Presbyteris qui contendunt Legem Principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem absque alio titulo vel lucri cessantis vel damni emergentis.

2. Utrum debeat.

Resp. ad utrumque: Non esse inquietandos, quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subiicere: adeoque nihil obstare eorum absolutioni in Sacramento Poenitentiae.

Alia dubia.

1. An Confessarius ille possit absolvi, qui licet Benedicti XIV. et aliorum Summorum Pontificum de usura definitiones noverit, docet ex mutuo divitibus aut negotiatoribus praestito percipi posse praeter sortem

lucrum quinque pro centum etiam ab iis, qui nullum omnino alium, praeterquam Legem civilem, titulum habent mutuo extrinsecum.

2. An peccet Confessarius, qui dimittit in bona fide poenitentem, qui ex mutuo exigit lucrum Lege civili statutum absque extrinseco lucri cessantis, aut damni emergentis aut periculi extraordinarii titulo.

Resp. ad primum Confessarium de quo in dubio, non esse inquietandum, quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui paratus sit se subiicere: adeoque nihil obstare eius absolutioni in Sacramento Poenitentiae.

Ad secundum: Provisum in praecedenti, dummodo poenitentes parati sint stare mandatis S. Sedis.

Alia dubia

Vir quidam persuasus erat Encyclicam Benedicti XIV. non inhibere lucrum ex collocatione pecuniae perceptum juxta disposita a Lege civili. Ejus haeredes quaerunt:

1. An Encyclicam recte acceperit.

2. Etiam supposito quod male acceperit, persuasus tamen recte accepisse, an haeredes ab omni reparatione se exemptos existimare valeant.

Resp. ad primum: Acquiescant, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis.

Ad secundum: Provisum in primo.

Alia dubia

1. An possit eorum Confessariorum agendi ratio probari, qui dum tenent uti probabiliorem opinionem contrariam lucro ex pecunia negotiatoribus mutuo data, poenitentes eo modo lucrum percipientes ut ditescant absolvunt, quando nempe isti, obiicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam a S. Sede, promittunt tamen obedire judicio S. Pontificis si intercedat: et similiter agunt, quando poenitentes lucrum percipientes in bona fide, de eo non confitentur licet aliunde noverint ipsos percipere lucrum ut supra, nulla ea de re facta interrogatione

quando timent ne poenitentes admoniti restituere aut tali lucro abstinere recusent.

2. Utrum Episcopus possit hortari rigidiores Confessarios consulendi causa ipsum adeuntes, ut priorum Confessariorum agendi rationem sequantur donec S. Sedes expressum ea de quaestione judicium ferat.

Respondetur ad primum: Non esse inquietandos:

Ad secundum: Provisum in primo.

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 14 Augusti 1831.

V. D. Solimei S. P. Secr.

5.

RESOLUTIO CONG. GEN. S. OFFICII

A GREGORIO XVI APPROBATA

CIRCA QUÆSITA EPISCOPI VIVARIENSIS.

BEATISSIME PATER.

Pervenit ad me iudicium SS. Pii VIII sub data diei 18 Augusti 1830 ad postulata Episcopi Rhedonensis super agendi ratione Confessariorum erga poenitentes, qui inter disceptationes Theologorum circa mutuum expositas in supplici libello, mediam se posse sequi viam arbitrantur.

Idem judicium loquitur de voto Eminentissimorum Cardinalium Inquisitorum Generalium: et Rescripto subiiciuntur Responsa data ab iisdem eadem die ad diversa dubia relativa ad opinionem eorum, qui contendunt Legem Principis solam esse titulum sufficientem aliquid percipiendi ultra sortem in mutuo.

Ex isto iudicio et istis responsis datis nova exorta sunt dubia, novae discrepationes, nova quaesita. Nam dictum iudicium in pluribus Dioecesibus divulgatum est, et haec est occasio talium discrepationum.

In exposito Episcopi Rhedonensis nulla fit mentio dicti tituli, quem volunt quidam Theologi reperiri in Lege Principis: sed unice de mutuo dato negotiatoribus, et de sensu Encyclicae *Vix pervenit* circa tale mutuum negotiatoribus factum.

Unde alii dicunt, iudicium SS. Pontificis Pii VIII. in se solo attendendum esse, et separatim a responsis datis ab Eminentissimis Cardinalibus, ita ut sensus istius iudicii sit Sententiam faventem mutuo facto negotiatoribus non fuisse damnatam a S. Sede ea de re non semel consulta: ideoque si poenitentes promittant se filiali obedientia obsecuturos iudicio SS. Pontificis si intercedat, non esse inquietandos Confessarios qui ipsis absolutionem non denegant. Qui sic iudicium SS. Pontificis interpretantur, aures avertunt a litera Encyclica Benedicti XIV. ut 1. et 2. de Synodo Dioecesana eiusdem Pontificis, ad quam plures responsiones S. Sedis remittunt, ab Instructione data p. Carolo Felici 17. Aprilis 1749., et a diversis responsis datis a S. Sede Apostolica.

Alii, non concipientes qua via praefatum iudicium conciliari possit cum dictis decisionibus Benedicti XIV et aliorum SS. Pontificum circa mutuum negotiatoribus factum, si sic seorsim attendatur, putant dictum iudicium non sic esse intelligendum, sed coniunctim cum responsis datis ab Em. Cardinalibus, ad quae remittere videtur SS. Pontifex, qui dicit in prooemio iudicii: « Audita relatione superiorum dubiorum cum voto Eminentissimorum Cardinalium, » et iudicium esse referendum ad dubia de titulo Legis Principis, qui titulus damnatus non fuit a S. Sede.

Sed oritur nova difficultas circa sensum responsionum S. Officii. Eminentissimi enim Cardinales loquuntur de Lege Principis sine addito, non verba facientes de conditione quam in medium proferunt patroni tituli ex tali Lege desumpti ad perpiciendum interesse, nempe quod Princeps Lege sua declaret non quidem licitum esse perpiciendi in mutuo usuras (quae iure naturali et divino sunt prohibitae), sed se ex causa publica et in quibusdam circumstantiis concedere ius ad moderatas praestationes a subditis suis exigendas, ita ut tunc transferat dominium sicut per legem praescriptionis.

Punctum istud magni momenti est in Galliis, ubi Lex civilis omnino silet de dato iure ad percipiendum usuras, et potius supponit mutuantem ad lucrum ius certum habere. Motivum illius Legis, a Gubernii illius temporis Legislatoribus expositum, erat, quod Gubernii Consultores interesse consideraverant ut iustam compensationem bene-

ficiorum, quae eventura erant mutuanti ex usu pecuniae mutuatae, si eum usum sibi retinuisset. In discussione Legis haec insuper habuit tribunatus Orator: « Legitimitas stipulationis lucri in mutuo pluries » agitata, et tam impolitice proscripta propter aequivocationem verbo- » rum, amplius dubia non erit. Apud omnes certum est pecuniam esse » signum valoris, omnesque consentiunt valorem locari posse; at no- » lunt, nec possunt convenire, signum valoris pariter posse locari. » Legis Gallicanae haec sunt verba: « Licitum est stipulari interesse pro » solo mutuo sive pecuniae sive aliarum rerum mobilium. »

Porro si Legislatores Gallicani habuerunt lucrum in mutuo perceptum vel ut iustam compensationem beneficiorum quae mutuanti evenire poterant ex usu pecuniae sibi retentae, vel ut pretium locationis signi valoris, quod iuxta illos locari poterat; si Lex simplicem permissionem stipulandi lucrum in mutuo concedat; certum videtur, Legem civilem in Galliis noluisse transferre dominium huius lucri, et aliud acquisitum mutuanti supposuisse. Unde si alii dicant responsionem Eminentissimorum Cardinalium applicandam esse Legi Gallicanae, prout est in codice civili; alii illud negant propter motiva allata.

Itaque quaeritur:

1. An praefatum iudicium S. Pontificis intelligendum sit ut verba ipsius sonant, et separatim a titulo Legis Principis, de quo Eminentissimi Cardinales loquuntur in his responsis, ita ut unice agatur de mutuo negotiatoribus facto.

2. An titulus ex Lege Principis, de quo Eminentissimi Cardinales, sic intelligendus sit, ut sufficiat Legem Principis declarare licitum esse cuique convenire de lucro ex solo mutuo facto, sicut fit in Codice civili Francorum, quin dicat se concedere ius tale lucrum percipiendi.

Ad pedes Sanctitatis Vestrae enixe provolutus, suppliciter et cum filiali affectu orat pro resolutione humillimus nec non obsequentissimus servus

✠ P. Fr. Episcopus Vivariensis.

Feria IV. die 31 augusti 1831.

In Congregatione generali S. Officii habita in Conventu Sanctae Mariae supra Minervam coram Eminentissimis et Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, propositis superioribus precibus R. P. D. Episcopi Vivariensis, iidem Eminentissimi et Reverendissimi DD., praehabitis DD. Consultorum suffragiis, dixerunt:

Provisum in Decretis Feriae IV. 18 Augusti 1830, atque dentur Decreta.

Eadem die et feria SS. D. N. Gregorius Div. Provid. PP. XVI in Aud. R. P. D. Assessori S. Officii Resolutionem ab Em. captam approbavit.

Sequuntur Decreta feria IV. 18 Augusti 1830 edita ab Eminentissimis, et sub eadem feria approbata a sancta memoria Pii VIII super sequentibus Dubiis. (Sunt autem Decreta ea superius allata num. 4. praeter ultimum, et num. 2.)

Testor ego infrascriptus Notarius S. Romanae et Universalis Inquisitionis, Decreta, de quibus supra, revera esse talia, qualia lata sunt in Feria IV. 18 Augusti 1830, et in Feria IV. 31 Augusti 1831.

Datum Romae ex Cancellaria S. Officii hac die 24. 7bris 1831.

Angelus Argenti S. Rom. et Univ. Inq. Notarius.

6.

QUESITI DEL CAPITOLO DI LOCARNO

BEATISSIMO PADRE

Il Capitolo di questa Collegiata di Locarno, Diocesi di Como, territorio Svizzero, ha la maggior parte delle proprie Prebende in danaro, ricavato principalmente dall' estinzione delle decime avvenuta per De-

creto Governativo: il qual danaro egli impiegar deve, per viverne de' frutti, ed adempire ai pesi annessi ai Benefizii.

Per le circostanze de' tempi e dei luoghi o non si trova affatto come investire il danaro suddetto in stabili fruttiferi, i quali scarseggiano assai in proporzione della popolazione, e per la carezza di detti stabil non frutterebbe che il due e mezzo per cento annualmente, il che peggiorerebbe eccessivamente le Prebende già per sè stesse meschine.

I censi si vogliono proibiti da queste Leggi municipali, e sono mal sicuri, non esistendo in queste parti l' Ufficio delle Ipoteche che accerti la libertà e sufficienza de' fondi su' quali vogliónsi stabilire. Inoltre quegli stessi, che per fare i loro interessi ci chiedono il danaro, ricusano ordinariamente di sottoporsi a' censi, e amano meglio di riceverlo a prestanza col contribuire il quattro o il cinque per cento annualmente.

Ciò premesso, si domanda:

1. Se la necessaria onesta sostentazione dei Beneficiati, che dee provenire dal frutto dei capitali di tali Prebende, è dessa in tali circostanze un sufficiente titolo equivalente agli altri già approvati dalla Chiesa, per cui sia lecito un tale contratto di dare il danaro dotale di dette Prebende a interesse del quattro o cinque per cento, dietro ipoteca di beni stabili, e cauzione di persone note e solvibili, affine di assicurare la perpetuità delle Prebende.

2. Se questo titolo, supposto ammissibile, si possa estendere anche a favore delle Chiese, Monasteri, e altri luoghi pii, come anche dei pupilli e di altre persone che si ritrovano nelle circostanze medesime di sopra descritte, ed hanno bisogno di far fruttare il proprio danaro per sostentarsi onestamente.

3. Se le Leggi e procedure civili, che ormai approvano generalmente tali contratti e li fanno eseguire, non che il comune tacito consenso dei popoli, che per l' uso invalso de' secoli sembra li abbiano per maggior commodo e facilità sostituiti ad altri contratti più complicati e difficili, bastino a giustificarli.

4. Se sia attendibile l' autorità del nostro Ordinario, e di molti savii e dabbene Ecclesiastici, che, avute di mira le circostanze suddette, opinano favorevolmente, e simili contratti approvano.

5. Qual considerazione meritino in proposito le ragioni, che adduce Scipione Maffei ne' suoi tre libri *Dell' Impiego del danaro*, dedicati a Benedetto XIV, ed approvati dall' Inquisitore di Padova l'anno 1744.

6. Se la bolla *De Usuris* emanata dalla fel. Mem. di Benedetto XIV. l'anno 1645 probabilmente in sequela dell' opera del Maffei, al n. 3. di essa e all' articolo *De Contractu autem*, e seg. si possa interpretare favorevolmente a tali contratti.

7. Supposti illeciti tali contratti, che si ha a risolvere intorno a quelli già fatti, ed ai frutti già percepiti?

8. Se tali contratti si possano rendere leciti almeno coll'assumere il pericolo fortuito del fondo assegnato in pegno a carico della Prebenda, colle dovute proposizioni, come nei censi.

I sottoscritti Oratori umilmente da V: S. desiderano ed implorano una chiara ed opportuna decisione di questi loro dubbii per regolamento delle proprie e delle altrui coscienze generalmente agitate in proposito.

Locarno 13 Maggio 1831.

L' agente aggiunge la generale e grandissima scarsezza di numerario o dei fondi, e questi ordinariamente in possesso di pochi.

Tolta la prestanza di danari, i possidenti per la maggior parte inabili al commercio e alle arti, consumati i pochi capitali, si ridurrebbero facilmente alla miseria.

Gli altri non potrebbero, sprovvisti di danaro proprio e di fondi stabili da cambiare in contanti, non potrebbero avvantaggiare coll' industria.

Mancando Monti di Pietà, sarebbero obbligati sovente a vendere la piccola eredità paterna, e sovente a vilissimo prezzo, nelle loro necessità.

L' agitazione delle coscienze è oltre modo grande. Onde diversi Ordinarii, tutto considerato, si sono pronunciati in favore. Altrimenti nascerebbe un discetto generale, e totale impedimento degli affari e dell' industria.

Feria IV. 31 *Augusti* 1831.

Propositis superioribus Capituli Collegiatae Locarni precibus, quae iam per manus una cum DD. Consultorum suffragiis distributae fuerant, Em. et Rev. DD. dixerunt:

Ad 1, 2, 3, 4 non esse inquietandos, et acquiescant, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis.

Ad 5, 6, 7, 8 consulant Encyclicam Benedicti XIV, *Vix pervenit*, et probatos Auctores.

Feria IV. 7 *Septembris* 1831.

Sanctissimus D. N. Gregorius XVI, in solita Audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, Eminentissimorum Resolutiones approbavit.

7.

AD SACRAM POENITENTIARIAM

ITERUM EXPONIT ORATOR INFRASCRIPTUS

(*Denavit Professor Theologiae in Seminario S. Irenaei Lugdunensis*)

Ex Responso Sacrae Poenitentiariae ad Oratorem infrascriptum directo die 16 Septembris 1830 absolvendi sunt Presbyteri, qui contendunt Legem Principis esse titulum sufficientem et legitimum aliquid percipiendi ultra sortem in mutuo absque alio titulo a Theologis communiter admisso, donec S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subiicere: et huic responso humiliter et libenter acquiesco.

Attamen, salvo Sacrae Poenitentiariae Responso praefato, consultis Auctoribus probatis, et attenta doctrina omnium fere Seminariorum Galliae, ac praesertim eorum quae a Presbyteris Congregationis Sancti Sulpitii diriguntur, sententia quae reiicit titulum Legis civilis tamquam insufficientem videtur longe probabilior, securior, et sola in praxi tenenda, donec S. Sedes definierit.

Quapropter Fidelibus, qui a me consilium petunt utrum possint auctarium percipere ex mutuo, et qui nullum habent titulum a Theologis communiter admissum praeter titulum Legis civilis, respondeo, eos non posse praefatum auctarium exigere, et denego Absolutionem Sacramentalem si exigant. Pariter denego Absolutionem iis, qui perceptis huiuscemodi usuris, idest vi solius tituli Legis, nolunt restituere.

Quæritur 1. Utrum durius et severius me habeam erga huiuscemodi Fideles.

2. Quae agendi ratio in praxi tenenda erga Fideles, donec S. Sedes definitivam sententiam emiserit.

Lugduni 24 Septembris 1831.

Denavit Professor

Sacra Poenitentiaria, perpensis Dubiis quae ab Oratore proponuntur, respondet:

Ad primum, affirmative: quandoquidem ex dato a Sacra Poenitentiaria Responso liquet, Fideles huiusmodi, qui bona fide ita se gerunt, non esse inquietandos.

Ad secundum: Provisum in primo: unde Orator priori Sacrae Poenitentiariae Responso sub die 16 Septembris 1830 sese in praxi conformare studeat.

Datum Romae in Sacra Poenitentiaria die 11 Nov. 1831.

A. F. de Retz S. Poenitentiariae Regens.

F. Fricca S. Poenitentiariae Secretarius.

8.

RESPONSIO S. POENITENTIARIÆ

AD QUÆSTIONES IOANNIS ANT. AVVARO

S. TH. DOCTORIS ET REGII PROFESSORIS.

EM. ET REV. DOMINE

Regia Lex Pedemontana universim et sine ulla restrictione permittit, ut quisquis alteri cuicumque pecuniam mutuat, stipulare et exigere possit annuum auctarium 5 pro 100 supra sortem. Hinc in Pinaroliensi aliisque finitimis Dioecesibus gravissima inter Theologos fervet controversia, an in casibus, in quibus ex una parte nullus adest titulus lucri cessantis vel damni emergentis vel periculi extraordinarii sortis amittendae, ex altera vero praeceptum charitatis erga proximum non obligat ad mutuandum simplici ac nudo mutuo, liceat mutuanti illud auctarium recipere et retinere? Alii enim auctarium illud omnino usurarium et illicitum, alii vero ab omni usurae labe immune prorsus licitumque esse propugnant: et quod controversiam valde implicatiorem reddit, omnes gloriantur se niti auctoritate Benedicti XIV, aut saltem eum sibi nullatenus adversari.

Nimirum Theologi, qui primam sententiam tuentur, dicunt auctarium, de quo agitur, a Benedicto XIV reprobatum fuisse, implicite quidem in Encyclica diei 1. Novembris 1745. *Vix pervenit*, ut patet ex attenta eius lectione, explicite vero in opere *De Synodo Dioecesana* lib. X. cap. IV. n. 1. et 2. his verbis: « Graecis ex parte consensit Calvinus, qui ad cap. XVIII. Ezechielis licere docuit aliquod moderatum » lucrum, non quidem a paupere, sed a divite, praecise ratione mutui » exigere. *Errorem* a Calvino obiter insinuatum, ex professo propugnavit » Carolus Molinaeus in suo tractatu *De Usuris*, ubi n. 10. *audacter* » affirmat usuram non esse prohibitam, nisi in quantum est contra » charitatem. Eamdem *pravam* opinionem amplexatus, alia ratione defendit Claudius Salmasius in duplici tractatu, altero inscripto de usu» ris, altero de trapezitico foenore, quibus in locis usuram, nisi cha-

» ritatem laedat, ab omni culpa absolvit, eo quod sit merces locatae » pecuniae. *Impiae* Calvini et Molinaei opinioni non veriti sunt subscri- » bere pauci quidam Doctores Catholici, « illi scilicet, qui quum agi- » tur de mutuo quo pecunia aliave res datur ad negotiationem » a » foenoris labe excusant lucrum quod ex mutuo percipitur, dummodo » sit moderatum, modumque servet a patriae Legibus definitum. » Porro etsi Benedictus XIV in Synodo Dioecesana solum loquatur ut privatus Doctor, ipse tamen sine dubio omnium optime sciebat quid in sua Encyclica reprobare voluisset, adeoque quidquid circa usuram postea scripsit in Synodo, et signanter cit. cap. 4. ubi n. X. doctrinam in Encyclicam definitam summatim refert, habendum est tamquam eiusdem Encyclicae explicatio, a qua recedere piaculum sit.

Theologi vero qui tuentur secundam sententiam, dicunt auctarium illud non percipi ex mutuo *ipsius ratione mutui, vel solius causa mutui vel vi mutui ipsius, vel praecise ratione mutui, hoc est lucri cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco titulo remoto*, quod veluti usurarium atque omni iure illicitum meritissime reprobavit Benedictus XIV tum in Encyclica §. 3. n. 1. et 2. tum citato loco de Synodo n. 11; sed *ratione, causa, vi, ac titulo extrinseco Legis Civilis* dominium auctarii ex mutuatario in mutuantem transferentis, eo modo quo rerum dominium ex uno in alium transfertur per legitimam praescriptionem; vel *ratione publici boni*, quod mutatis circumstantiis in praesenti rerum statu, absque illo auctario, vix aut ne vix quidem obtineri posset; vel *ratione ultronei* taciti ac mutui consensus in auctarium a Lege permissum ex parte totius generatim societatis, cui inest ius disponendi de rebus suis prout ei libuerit, et speciatim ex parte eorum, qui modo pecunia abundant et modo indigent, ac modo pecuniam mutuo dant, modo vero accipiunt; vel *ratione consuetudinis* in orbe catholico fere ubique receptae, etiam apud homines timoratae conscientiae, auctarium moderatum et a patriae Legibus definitum exigendi; vel ob alias huiusmodi causas, quas Benedictus XIV nullibi expendit aut memoravit. Ad argumentum autem, quod ex Encyclica et ex opere de Synodo Dioecesana deducunt primae sententiae patroni, quadrupliciter respondent.

Respondent 1., Benedictum XIV in Encyclica *Vix pervenit* hoc unum statuisse, tunc scilicet ex mutuo nullum auctarium, etiam moderatum,

ultra sortem recipi posse, cum quis vel tenetur simplici ac nudo mutuo absque ullo auctario, alteri succurrere; quod ex praecepto charitatis, ex eoque solo, locum habet in multis casibus, idque ex eo quod tunc nullus cum mutuo concurrere potest legitimus titulus aliquid supra sortem exigendi: vel mutuum dat in iis casibus in quibus nullum alium iustum contractum, praeter unum mutuum, celebrare potest; quod etiam accidit in multis circumstantiis, v. g. quum alteri credit vinum, oleum etc. ut patet ex §. 3. n. 5., ubi postquam definivit falso et temere affirmari reperiri semper ac praesto ubique esse vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel, secluso etiam mutuo, contractus alios iustos, quorum vel titulorum vel contractuum, praesidio, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis, alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum ultra sortem integram salvamque recipere: « cumque qui ita affermaret » non modo divinis documentis et catholicae Ecclesiae de usura iudicio, sed ipsi etiam humano communi sensui ac naturali rationi procul dubio adversari, huius definitionis rationem reddit, et concludit his notabilibus verbis: « Neminem enim id » saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo simplici » ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso praesertim Christo Domino » edocente: *Volenti mutuari a te ne avertaris*: et quod simpliciter multis » in circumstantiis, praeter unum mutuum, alteri nulli vero iustoque » contractui locus esse possit. » Ac proinde iuxta Benedictum XIV. quoties mutuo datur pecunia, et praeceptum charitatis non obligat ad eam mutuandam simplici ac nudo mutuo, semper una cum mutuo reperiri posse, quin immo praesto ubique esse legitimum aliquem titulum, v. gr. *Legem civilem*, *publicum bonum*, etc., cuius praesidio liceat auctarium moderatum ultra sortem recipere, iuxta tritam illam regulam: *In necessariis expressio unius est exclusio alterius*: aut saltem Benedictum XIV huic sententiae nullatenus adversari.

Respondent 2. huic quoque sententiae nullatenus adversari Benedictum XIV in iis quae circa usuram scripsit cit. cap. 4 de Synodo n. 2. et 3: quia ibi solum docet perpetuae Catholicae Ecclesiae de usura doctrinae post Graecos Schismaticos contra dixisse tum Calvinum, qui erronee docebat aliquod moderatum lucrum ex mutuo *praecise ratione mutui* (in quo sita est usurae essentia) licite a divitibus exigi posse; tum

Carolum Molinaeum, qui audacter affirmabat huiusmodi *usuram* a Calvino admissam, et suapte natura malam, non esse prohibitam; nisi in quantum est contra charitatem, tum Claudium Salmasium, qui eamdem *usuram*, nisi charitatem laederet, ab omni culpa prave absolvebat, falso eo praetextu, quod sit merces locatae pecuniae; tum demum paucos quosdam Doctores illos Catholicos qui impiae Calvini et Molinaei opinioni *subscribere* non verentes, una cum ipsis audacter affirmabant et erronee docebant, *usuram non esse prohibitam nisi in quantum est contra charitatem*, atque a foenoris labe excusari lucrum quod a negotiatoribus exigitur percipiturque ex mutuo *praecise ratione mutui*, dummodo sit moderatum modumque servet a patriae Legibus definitum. Haec omnia profecto ne latum quidem unguem differunt a doctrina, quae continetur in Encyclica. At vero aliud est usurarium, et illicitum esse auctarium, etiam moderatum, et a patriae Legibus definitum, quod percipitur ex mutuo *praecise ratione mutui;* aliud est usurarium ac illicitum esse moderatum illud auctarium a patriae legibus definitum, quod percipitur ex mutuo non *praecise ratione mutui*, sed *ratione Legis civilis*, vel ob extrinsecas alias causas paulo supra commemoratas: primum affirmat Benedictus XIV, de altero ne verbum quidem facit.

Respondent 3. in hypothesi quod Benedictus XIV in Synodo huic sententiae reipsa adversaretur, nullomodo culpandum fore, qui solidis rationibus innixus, a privata eius opinione seu explicatione modeste recederet, quum ille ipse in fine praefationis ad Synodum Dioecesanam aperte profiteatur *omnibus in rebus*, *quibus nullum ex publica Ecclesiae auctoritate pondus accessit*, qualis procul dubio est explicatio de qua agitur, *nihil se in Synodo definire ac veluti decretorium exhibere velle*, allata etiam ad hoc comprobandum auctoritate Melchioris Cani, et exemplo Innocentii IV, qui etsi commentaria sua in libros Decretalium scripserit quum Summum Pontificatum gereret non tamen « hoc sibi » umquam arrogavit, ut quidquid in eo opere scripsisset pro re definita haberetur, sed facile passus est opiniones suas, quas tamquam » privatus doctor proposuerat, ab aliis doctoribus oppugnari, ut patet etc. »

Respondent 4, in hypothesi quoque quod Benedictus XIV huic sententiae adversaretur in Encyclica, iam inde nullum amplius argumentum peti posse ad reprobandum moderatum illud auctarium a lege per-

missum, quod percipitur in praesenti rerum statu: quia circumstantiarum mutatio aliquam inducere potuit, immo vero manifestam induxit variationem, non quidem quoad principia quibus nititur catholicae Ecclesiae de usura et mutuo doctrina, quaeque eadem semper ac omnino invariabilia sunt, sed quoad eorum applicationem.

Ego diligenter considerata prout tenues ingenii mei vires ferunt, Benedicti XIV doctrina, ut moderatius, sic probabilius illud existimo: dubitari merito posse, utrum ea doctrina, se sola, huic controversiae dirimendae sufficiat, nec ne. Verum cum etiam posita hac mea opinione, cui parum fidere debeo, incertum adhuc remaneat, num auctarium illud tuta conscientia recipi possit; ut sublata omni incertitudine sit mihi parata facultas apte respondendi quibusdam Confessariis qui novissime circa eamdem controversiam me consuluerunt, tum et aliis qui ratione munerum quibus perfungor, sive intra sive extra sacrum Poenitentiae tribunal consulturi sunt, Vestram Eminentiam suppliciter rogo obtestorque in Domino, ut mihi transmittat resolutionem trium quaestionum, quas hic subiicio:

1. An auctarium, de quo agitur, licitum sit. Et quatenus haec quaestio ex doctrina Benedicti XIV aliisque Sedis Apostolicae iudiciis directe resolvi nequeat.

2. An poenitentes, qui auctarium illud sive bona, sive dubia aut mala fide receperunt, sacramentaliter absolvi possint, nulla facta aut promissa hic et nunc restitutione, dummodo serio promittant se esse paratos ad exequendum quidquid super hoc negotio Sedes Apostolica determinaverit. Et quatenus affirmative, prout asserunt nonnulli ad hanc aliasque similes quaestiones iam pluries nomine S. Officii et Sedis Apostolicae provisorie rescriptum fuisse, de quibus tamen Rescriptis eorumque tenore mihi non constat.

3. An iis pariter, qui neque ullum habent titulum lucri cessantis vel damni emergentis, vel periculi extraordinarii sortis amittendae, neque versantur in casibus in quibus praeceptum charitatis erga proximum eos obligat ad mutuandum simplici ac nudo mutuo, liceat pecuniam mutuo dare, stipulato aut convento annuo auctario 5. pro 100. supra sortem prout Lex regia permittit, sub eadem conditione de parendo futuris Sedis Apostolicae super hoc negotio determinationibus.

Maxima fretus fiducia, quod Eminentia Vestra votis meis, in re mihi adeo necessaria, benigne obsecundabit, sum eroque semper

Eminentiae Vestrae

Pinerolii die 22. Ianuarii 1832

Humil. Obseq. et Dedit. Servus

Ioseph Antonius Avvaro, Sacrae Theologiae Doctor, et Regius eiusdem Facultatis Professor, Canonicus Theologus, et Provicarius Generalis.

SACRA POENITENTIARIA

Dil. in Christo Iosepho Antonio Avvaro transmittendas censuit Resolutiones alias datas ad quaedam dubia circa usuras scilicet (sunt autem ea omnino, quas superius attulimus, num. 4.)

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 11 Februarii 1832.

E. Card. de Gregorio M. P.
D. Fratellini S. P. Secr.

9.

RESPONSUM

S. PŒNITENTIARIÆ APOSTOLICÆ

Ad preces moderni Episcopi Aquensis Sanctae Sedi porrectas ad impetrandam normam circa varias quaestiones quae de usura diversimode ab auctoribus definiuntur, idque pro quiete tam Fidelium quam Confessariorum.

Sacra Poenitentiaria Ven. in Christo Patri Episcopo Oratori communicandas censuit Resolutiones alias datas ad quaedam dubia circa usuram, scilicet: (sunt autem superius allatae, num. 4.)

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 23. Novembris 1832.

A. F. de Retz S. P. Regens.
D. Fratellini S. P. Secr.

10.

RESPONSUM S. ROMANÆ ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS

AD DUBIUM EPISCOPI NICÆENSIS.

BEATISSIME PATER.

In fasciculis quorum titulus, « *Annali delle Scienze Religiose*, » *vol.* 1. *N.* 1. *pag.* 128, et « *l'Ami de la Religion* » 2. *avril* 1835. *N.* 2436. legitur responsum, quod Em.mus Cardinalis Poenitentiarius Maior dedit die 7. Martii 1835 Ill.mo ac Rev.mo Episcopo Vivariensi in quaestione ab ipso circa usuram proposita: Exposuerat enim Praesul nonnullos verbi Dei praecones docere in publicis concionibus, licitum esse lucrum ex mutuo percipere titulo legis civilis, quin ullum verbum facerent *de illa conditione* responsis a S. Poenitentiaria nuper latis apposita, qua cautum est, ut Poenitentes lucrum ex mutuo legis civilis titulo percipientes *parati* esse debeant stare mandatis Sanctae Sedis, ac postulaverat an illi Sacerdotes essent improbandi.

Cuius precibus benigne annuens Em.mus Poenitentiarius Maior respondit, Sacram Poenitentiariam haudquaquam voluisse responsis illis quaestionem a Theologis agitatam de titulo ex lege principis desumpto definire, sed solummodo normam proposuisse, quam confessarii tuto sequerentur erga poenitentes, qui moderatum lucrum lege principis statutum acciperent bona fide, paratique essent stare mandatis Sanctae Sedis, ac proinde minime probari posse illorum concionatorum agendi rationem, qui absolute docent in sacris concionibus, licitum esse lucrum ex mutuo percipere titulo legis civilis, reticitis enunciatis conditionibus.

Quidam attendentes ad illa verba in responso apposita *bona fide* contendunt, iuxta normam a S. Poenitentiaria Confessariis pluries propositam illos tantum sacramentaliter absolvi posse, nullo imposito restitutionis onere, qui lucrum enuntiatum bona fide percepissent. Alii e contra asserunt etiam illos, qui dubia vel mala fide dictum lucrum percepissent, absolvi posse, nullo imposito restitutionis onere, dummodo parati sint standi mandatis Sanctae Sedis, et aiunt hanc clausulam *bona fide* non respicere onus restitutionis, sed potius honesta-

tem agentis, et absolutionem, quam Confessarii impertiri nequeunt poenitentibus in mala fide constitutis, nisi prius de patrato in mala fide poeniteant: et hoc deducunt ex ipsa postulatione Episcopi Vivariensis. Non petierat Episcopus, aiunt, utrum poenitentes dubia vel mala fide constituti obligandi essent ad restitutionem, sed tantum utrum improbandi essent concionatores illi, qui nulla enunciata conditione licitum usum mutui praedicti praedicabant; quumque Sancta Sedes nondum quaestionem definierit, et patratum in mala fide licet per se non inducat onus restitutionis, semper tamen inducit culpae reatum; hinc Em.^{mum} improbasse aiunt istorum agendi rationem, qui reticitis conditionibus *bona fide et standi mandatis Sanctae Sedis* licitum usum dicti mutui absolute praedicabant; quin loqueretur Em.^{mus} de obligatione restitutionis, de qua non postulabat Praesul. Deducunt quoque ex conditione a Sacra Poenitentiaria requisita in poenitentibus standi mandatis Sanctae Sedis, quae dispositio dubium necessario aut supponit, aut excitat de honestate mutui praedicti.

Quumque hinc et inde sint viri summae pietatis, et non spernendae auctoritatis; hinc ut animarum quieti in re tam frequenti et seria provideatur, perhumillime petitur:

An poenitentes qui moderatum lucrum solo legis titulo ex mutuo DUBIA vel MALA FIDE perceperunt, absolvi sacramentaliter possint nullo imposito restitutionis onere, dummodo de patrato ob dubiam vel malam fidem peccato sincere doleant, et filiali obedientia parati sint standi mandatis Sanctae Sedis.

Nicaeae 9 Septembris 1837.

Subscriptus ✠ Dominicus Episcopus Nicaeensis.

Feria IV. die 17 Ianuarii 1838.

In Congregatione Generali Sanctae Romanae, et Universalis Inquisitionis habita in Conventu Sanctae Mariae supra Minervam coram Eminentissimis et Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus proposito supradicto du-

bio, iidem Eminentissimi, et Reverendissimi DD. dixerunt: AFFIRMATIVE, DUMMODO PARATI SINT STARE MANDATIS SANCTÆ SEDIS.

Loco ✠ Sigilli

Angelus Argenti S. Rom. et Universalis
Inquisitionis Notarius.

CIRCOLARE

AI MM. RR. SIGNORI PARROCHI

M.to Rev.do Signore

Vercelli 14 Febbraio 1838.

Avendo il nuovo Codice prescritto, che i privilegi e le ipoteche legali fin qui esenti dall'obbligo di essere inscritte, non abbiano più effetto sopra gl' immobili, se non in quanto sieno state rese pubbliche colla inscrizione sui registri del Conservatore delle ipoteche, non mi parve inutil cosa il richiamare sovra di così importante oggetto l'attenzione dei Signori Parrochi ed Amministratori delle Chiese, Confraternite, Cappelle, ed Opere pie, onde siano in grado di prendere in tempo le opportune misure per non recare alcun danno ai Benefizi Parrocchiali, o Chiese, e Stabilimenti da essi amministrati. Perciò prevengo la S. V. M.° R.ª che fra tutto Giugno dell' anno corrente debbono essere inscritti nel modo stabilito dalla Legge i privilegi e le ipoteche legali nascenti da titoli o cause anteriori al 1° Gennaio dell' anno corrente, e quelli nascenti da titoli o cause posteriori a tale epoca dovranno sempre d'ora in poi inscriversi fra tre mesi dal giorno della loro origine.

Inoltre la S. V. deve avvertire che a termini del R.° Editto del 16 Luglio 1822, e del nuovo Codice le inscrizioni conservano il privilegio e l' ipoteca per quindici anni soltanto da computarsi dalla loro data, e

che cessa il loro effetto se non sono rinnovate prima della scadenza di detto termine.

Dovrà dunque la S. V. esaminare se per garanzia del suo Benefizio, o Chiesa Parrocchiale, e di altre Chiese, Cappelle, ed Opere pie esistenti nella sua Parrocchia fossero state prese inscrizioni ipotecarie, e farle rinnovare a tempo debito, e qualora non fossero ancora state prese inscrizioni ipotecarie a favore de' pii Stabilimenti o per Legati, o per altra causa, ordiniamo alla S. V., e per di lei mezzo ai rispettivi Amministratori di procurarsi copia autentica dei relativi atti, e di chiederne quanto prima l' opportuna inscrizione nell' Ufficio delle ipoteche.

Confido assai nella diligenza di V. S, che vorrà darsi tutta la premura per evitare quei pregiudizi, cui in caso d' inesecuzione delle dette prescrizioni potrebbero trovarsi esposti i diritti dei pii Stabilimenti, prendendo anche ove d' uopo consiglio da persone legali per assicurare meglio gl' interessi della chiesa, e dei poveri.

Mi raffermo con tutta la stima

Di V. S. M.° Rev.ª

Aff.mo come Fratello

✠ ALESSANDRO ARCIV.vo

ISTRUZIONE

Sul modo di scrivere al Vescovo per la Posta, onde abbia luogo la franchigia accordata da S. M. nel carteggio col medesimo.

Fra le varie classi, che reciprocamente col Vescovo godono, mandando o ricevendo dagli Uffizii di Posta lettere o pieghi, il privilegio della franchigia conceduto per tratto di Sovrana munificenza col Regio Editto 12 agosto 1818, col Regio Biglietto 13 ottobre 1819, e colla Regia Provvisione 21 marzo 1827, sono comprese le seguenti: Vicarii Foranei; Parochi; Capitoli; Collegiate; ed Opere pie in nome collettivo; Superiori di Conventi, e di Monasterii; Sindaci di Comunità e Giudici di Man-

damento. Per essere però a parte di questo beneficio della Reale Clemenza, per cui una grande facilità si aggiunge all'esercizio del ministero Episcopale, avrannosi ad osservare le formalità descritte nella presente Istruzione.

1° Non si potranno chiudere, e suggellare che le lettere semplici, cioè formate di un intiero foglio di carta chiamata appunto *da lettere*. Se perciò comprenderanno esse un solo mezzo foglio di più, oppure saranno scritte in un foglio di carta grande si dovranno piegare in quarto, chiudendole con una fascia in croce. Quindi le lettere doppie, o poste colla sopra-carta saranno soggette alla tassa.

2° Qualunque piego di carte, che riguardi cose del servizio della Diocesi, si potrà mandare franco per la Posta, purchè non sia chiuso altrimenti che colla fascia. Si avverta però, che questa non ecceda il terzo del totale dell'involto, e sia suggellata in modo, che si possa riconoscere, se vi sono frammesse lettere o carte estranee al servizio da consegnarsi ad altre persone.

3° I soli affari della Diocesi sono quelli, che si deggiono trattare per mezzo di un tale carteggio. Quindi è divietato lo abusare in qualunque modo della Sovrana concessione; tanto più, che le lettere o carte estranee, di cui ora si è detto, sarebbero in un coi pieghi tassate, come se fossero indiritte a persona, che non godesse della franchigia.

4° Non si dovrà mai nel indirizzo accennare il nome e cognome della persona di ufficio a cui si scrive; mandando perciò una lettera al Vescovo, gli si farà la direzione in questo modo:

All' Ill.mo e Rev.mo Monsignore
Monsignor Arcivescovo
di
Vercelli.

5° Le lettere chiuse, o pieghi fasciati, secondo che i casi già detti richiederanno, contrassegnati saranno da chi scrive. Il Vescovo adopererà un contrassegno a stampiglia di forma ovale, sulla cui sommità sta espresso il motto *R. Poste* e nel centro la sua qualità *Arcivescovo di Vercelli.* Con questo bollo si noteranno tutte le lettere o pieghi, che si spediranno per gl' incumbenti della Diocesi.

6° Le persone delle Classi anzidette, che avranno a scrivere al Vescovo dirigeranno ad esso; ad esclusione di qualunque altra persona della Segreteria, o Cancelleria Vescovile le loro lettere o pieghi, ed useranno un contrassegno a mano, scrivendo in un angolo dell' indirizzo la loro qualità, con aggiungervi di pugno la propria sottoscrizione. Per esempio:

*All' Ill.*mo *e Rev.*mo *Monsignore*
Monsignor Arcivescovo
di

Il Parroco di N.
D. N. N. *Vercelli.*

7° Per vacanza della Parrocchia, o per assenza del Titolare, chi ne fa le veci godrà come quegli della franchigia; ma lo esprimerà nel sottosegnarsi allo stesso indirizzo. Per esempio:

Per la Parrocchia N. vacante
D. N. N.

oppure

Pel Parroco N. N. assente
D. N. N.

8° Allora che un Parroco, od altra persona che goda della franchigia, o chi ne fa le veci, entra in esercizio delle funzioni, dee con sua lettera partecipare agli Uffizii di Posta, da cui riceve le lettere, la sua qualità, e la sua sottoscritta, ossia firma, senza del quale riguardo non sarà il suo contrassegno riconosciuto.

9° Le lettere, o pieghi contrassegnati non si dovranno come gli altri gettare nella buca, ma si consegneranno, anche per altrui mezzo, agli Impiegati delle Poste, od ai loro deputati; altrimenti avrà luogo la tassa.

10° Questo privilegio serve pel solo distretto in cui ha giurisdizione il Vescovo, il quale perciò se si trovasse fuori della sua Diocesi, non potranno più le persone delle sovra descritte classi avere franca con esso la loro corrispondenza di lettere, anche osservando tutte le formalità.

11º Ogni trascuranza delle regole stabilite, ed irregolarità commessa contro i sin quì esposti articoli, renderà le lettere, od i pieghi soggetti alla tassa; e le cose, che vi si scriveranno, o vi si comprenderanno, per difetto degl'imperiti soffriranno ritardo, e correranno anche rischio di perdersi totalmente.

12º Nel lodato Regio Editto è stato considerato il caso di quei Paesi e Parrochie, dalle quali si viene direttamente alla residenza del Vescovo senza passare per verun uffizio di Posta, e per allora si dichiarò non farsi luogo a contravvenzione siccome pure è stato permesso, in caso d'urgenza, di mandare lettere a mano. Ma in qualunque evento dovrassi esattamente osservare il metodo sin quì descritto.

PARTICULA
LITERAR. APOSTOLICAR.
SS. D. N.
PAPÆ PII VII
ERECTIONIS SEDIS EPISCOPALIS VERCELLENSIS

IN

ARCHIEPISCOPALEM.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Cunctis ubique sit notum, quod anno a nativitate Domini Nostri Iesu Christi MDCCCXVII, die vero secunda mensis augusti, Pontificatus autem Sanctissimi Domini Nostri Domini PII Papae Septimi, anno eius decimo octavo, Ego Officialis deputatus infrascriptus vidi, et legi quasdam literas Apostolicas sub plumbo, ut moris est, expeditas, tenoris sequentis, videlicet:

» PIUS Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam » Beati Petri Apostolorum . . . .

. . . .

Ad maiorem itidem omnipotentis Dei gloriam et Catholicae Ecclesiae splendorem, simulque Christifidelium utilitatem supradictam Episcopalem Ecclesiam Vercellensem, quae ob multam erectionis antiquitatem, constantis famae celebritatem, plurium eius Antistitum sanctitatem, distinctumque Cleri numerum ac decorem aliis merito supereminet, quaeque in sat ampla praenobili Civitate, ubere, amoenoque ornata territorio consistit, praevia illius omnimoda solutione, et exemptione a quocumque Metropolitico iure, dependentia, ac subiectione Archiepiscopali Ecclesiae Taurinensi, cui ad praesens suffragatur, de specialis gratiae dono ad Archiepiscopalis Metropolitanae Ecclesiae sub titulo Sancti Eusebii primi illius Sedis Episcopi et Martyris, cum suo Capitulo a quatuor Dignitatibus, et vigintiduobus Canonicis efformato, gradum, et dignitatem extollimus, salvo interea, et illaeso manente iure Metropolitico Archiepiscopalis Ecclesiae Taurinensis super antedictis iam existentibus Ecclesiis Episcopalibus Aquensi, Asteusi, Eporediensi, Montis Regalis et Salutiarum; reliquas iam pariter vigentes Episcopales Ecclesias Casalensem et Vercellensem a quovis illius Metropolitico iure, subiectione, ac dependentia in perpetuum omnino eximimus, ac liberamus. Eidem vero Archiepiscopali Taurinensi Ecclesiae suffraganeas adiungimus novas, ut supra a Nobis erectas Episcopales Ecclesias Albensem, Cuneensem, Fossanensem, Pinaroliensem, et Segusinam, illasque similiter Metropolitico iuri Ecclesiae Archiepiscopalis Taurinensis Apostolica Auctoritate subiicimus, atque supponimus. Alteri autem noviter erectae Archiepiscopali Ecclesiae Vercellensi suffraganeas assignamus Ecclesias Episcopales Alexandrinam, Bugellensem, et Casalensem, quas pariter Vercellensis Archiepiscopi iuri Metropolitico perpetuis futuris temporibus, simili Auctoritate Nostra Apostolica, subdimus, atque submittimus, reservantes Nobis Vercellensis Metropolitanae Provinciae fines ampliare, assignando eidem in suffraganeas ad maius Pastorum et fidelium commodum praefato etiam Victorio Emmanuele Rege id exoptante: Episcopales Ecclesias Novariensem, et Viglebanensem. Quod spectat domos, . . .

. . . .

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo decimoseptimo, sexto decimo kalendas Augusti, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

Loco ✠ plumbi -- Super quibus literis Apostolicis praesens transumptum confeci praesentibus DD. Francisco LAVEZZARI et Odoardo LANUZZI Test. Subscript. ROCCHETTA -- Concordat cum Originale -- Subs. F. ISOLA Officialis Deput. Coad. Subs. A. Cardin. Prodatarius.

SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS

DECRETA SELECTA

DE MISSIS VIVORUM

I.

Utrum oratio praecepta a Superiore necessitatis publicae tempore locum habeat in diebus primae et secundae classis? et an praedicta oratio dici debeat sub distincta conclusione?

S. R. C. audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris censuit respondendum: Si oratio praecepta sit pro re gravi, dicenda erit in duplici primae Classis sub unica conclusione, et in duplici secundae classis sub sua conclusione. Si non erit pro re gravi omittenda in duplici primae classis, in duplici vero secundae classis arbitrio Sacerdotis. S. R. C. 7 Septemb. 1816.

II.

An iis temporibus quando tertia oratio in Missis est ad libitum, et ex iussu vel Summi Pontificis vel Episcopi in Missis apponi debeat aliqua specialis oratio pro publica indigentia, videlicet contra Persecutores Ecclesiae etc. haec oratio praescripta a Summo Pontifice vel Episcopo necessario ponenda sit in Missis tertio loco, et praetermittenda quae ad libitum? Seu potius Celebrans possit recitare tertiam orationem ad libitum, seu devotionis, et quarto loco quae est praescripta de mandato Pontificis vel Episcopi?

S. R. C. censuit respondendum: in casu proposito ad primam partem, Negative: ad secundam Affirmative per modum praecepti et obligationis. 17 Augusti 1709.

III.

An in Dominicis Adventus, et Quadragesimae omittenda sit collecta a Superioribus imperata?

Resp. Negative exceptis Dominica Palmarum et Dominica quarta Adventus in huius occursu cum Vigilia Nativitatis D. N. I. C., in quibus omittenda est collecta imperata. S. R. C. 20 Aprilis 1822.

IV.

An aspersio aquae benedictae in Dominicis diebus fieri debeat per Celebrantem, non obstante contraria consuetudine?

Resp. Fieri debere per Celebrantem, et non per alium non obstante contraria consuetudine. S. R. C. 5 Iulii 1631.

V.

An in aspersione aquae benedictae, quae fit a Sacerdote alba, et stola sola induto, celebraturo immediate Missam conventualem, stola sit aptanda ante pectus in modum Crucis, vel ad utrumque latus pendens a collo?

Resp. Stolam esse ante pectus ad modum crucis aptandam. S. R. C. 39 Septemb. 1679.

VI.

An Purificatorium benedici debeat?

Resp. Negative. S. R. C. 7 septemb. 1816.

VII.

An in Missis privatis permitti possit Ministro, si fuerit Sacerdos,

vel Diaconus, vel Subdiaconus ut praeparet calicem, et ipsum extergat in fine post ablutionem sicut in Missa solemni?

Resp. Negative, et serventur Rubricae. S. R. C. 7 septemb. 1816.

VIII.

In Ecclesiis Regularium diebus Dominicis, quibus tam regulares, quam exteri celebrant de Dominica, possunt exteri uti coloribus paramentorum, quibus utuntur Regulares ratione alicuius octavae. Et Regulares celebrantes in alienis Ecclesiis uti coloribus iuxta ritum earumdem, et tam exteri in Ecclesiis Regularium, quam ipsi Regulares in alienis possunt apponere commemorationem octavae ut supra occurrentis, servata Rubrica de duplici oratione habenda infra octavam. S. R. C. 11 Iunii 1705.

IX.

Sacerdotes etiam Regulares diebus, quibus officium recitant sub ritu duplici, celebrantes in alienis Ecclesiis, in quibus peragitur festum cum solemnitate, et concursu populi debent celebrare Missas, conformando se ritui, et colori earumdem Ecclesiarum: in aliis vero diebus possunt se uniformare, sed non tenentur, nisi quando color fuerit dissimilis, quia non licet celebrare v. gr. de S. Confessore cum colore rubro, neque de Martyre cum colore albo; si tamen in Ecclesia, in qua celebratur, non prohibentur Missae privatae defunctorum, tunc nemo tenetur se uniformare neque quoad colorem. S. R. C. 7 Maii 1746.

X.

Tres Missae ab Episcopo Ordinatis impositae debent dici quando iuxta Rubricas licet Missas votivas celebrare, quin imo celebratio earumdem ulterius adhuc differri poterit si rationabilis causa subsit. Insuper solae Missae qualitas non sacrificii applicatio praecipitur, ut ex contextu verborum Pontificalis Romani; et cum non sint adstruenda onera, nisi verborum, quibus lex constat, tenor cogat, ideoque bene possunt noviter Ordinati huiusmodi Missas pro aliis applicare.

P. Cavalieri tom. 3 cap. 12 et S. Alphonsus Maria de Ligorio lib. 4 tract. 5 de Ordin. num. 829.

XI.

An Sacerdos celebrans Missam conventualem, in qua Chorus cantare tenetur Symbolum Apostolorum, possit illam prosequi eo tempore, quo a Choro cantatur Symbolum praedictum?

Resp. Non posse. S. R. C. 17 Decemb. 1693.

XII.

An a Cantoribus in Choro incipi possit Introitus Missae, priusquam Sacerdos eamdem Missam celebraturus ad Altare pervenerit?

Resp. Negative, et amplius. S. R. C. 14. Aprilis 1752.

XIII.

An deficiente subdiacono pro Missa solemni, possit per superiores substitui constitutus in Minoribus ad cantandam Epistolam paratus absque manipulo?

Resp. Data necessitate, posse permitti. S. R. C. 5 Iulii 1698.

XIV.

An Sacerdos in Sacrificio Missae uti possit cingulo serico?

Resp. Congruentius uti cingulo lineo. S. R. C. 22 Ianuar. 1701.

XV.

An in Ecclesiis Regularium, aliisque Ecclesiis exemptis, recitandae sint Collectae ab Ordinario loci praescriptae? An liceat Clero earumdem Ecclesiarum ab iis recitandis cessare pro libito antequam Ordinarius id iusserit?

Resp. Ad primum Affirmative, ad secundum Negative. S. R. C. 3 Aprilis 1821.

Quoad secundum tamen si iam cessavit causa, seu consecutus est effectus, et Ordinarius non soleat huiusmodi mandata revocare, tunc secus esset dicendum.

XVI.

Numquid feria V. in Coena Domini, dum solemnis Missa cantatur, Crux cooperta esse debeat velo albo ratione solemnitatis diei, seu violaceo propter Passionis tempus?

Resp. Albi coloris debet esse velum Crucis Altaris, in quo Missa celebratur: violacei vero Crucis Processionis, et Altaris lotionis. S. R. C. 20 Decemb. 1783.

XVII.

An, quando Missa canitur sine Ministris, thurificari possit tam Altare, quam Chorus, ut alias fit quando Ministri adsunt?

Resp. Negative. S. R. C. 19 Aug. 1651.

XVIII.

Res divina fieri non potest in altari, in quo exigua Crux solum minori tabulae defixa fidelibus exhibetur, sed Crucifixus inter candelabra ita prominere debet ut Sacerdos celebrans, ac populus Sacrificio assistens eumdem Crucifixum facile et commode intueri possint. Benedictus XIV, Constit. *Accepimus.*

XIX.

An in Altari, in quo adest magna statua Crucifixi, sit ponenda alia crux, dum celebratur Missa?

Resp. Est sufficiens et non indiget alia Cruce. S. R. C. 16 Iunii 1663.

XX.

An quoties in Missa tertia oratio est ad libitum, dici possit de Sanctis quorum Missa est in Missali, vel de SS. Sacramento aut de Patrono?

Resp. Tertia oratio ad libitum Sacerdotis potest esse vel de Sancto, vel de SS. Sacramento, vel de Patrono, de Passione, de Cruce etc. S. R. C. 2 Septemb. 1741.

XXI.

An in Sabbato Sancto benedictio fontis, et Missae cantus sint actiones divisibiles, ita ut benedictio fontis ab uno, Missa vero ab alio cantari, seu celebrari licite possit?

S. R. C. censuit esse divisibiles, et posse ab uno fieri benedictionem fontis, ab alio Missam cantari. 14 Iunii 1608.

Requiritur tamen peculiaris et legitima consuetudo.

XXII.

An feria V. in Coena Domini celebrari possit in Ecclesia una Missa privata propter infirmos, excepta solemni?

Resp. Arbitrio Episcopi. S. R. C. 27 Martii 1773.

XXIII.

An in Missa privata de Sancto semiduplici, vel simplici, seu votiva, seu infra octavam, sive de feria non privilegiata dici possit collecta pro particulari defuncto, puta *Inclina*, vel *Deus qui nos Patrem* et similia; et an ob istam omitti possit aliqua ex assignatis pro tempore puta: *A cunctis* vel *Ecclesiae?*

Resp. posse in penultimo loco, nec omittendam ullam ex Collectis pro tempore assignatis. S. R. C. 2 Decemb. 1684.

DE OFFICIO, ET MISSA DEFUNCTORUM.

Etsi iam constet, compluribus Ecclesiae ministris perspecta esse, quae servanda sunt in recitatione Officii, et celebratione Missarum pro defunctis ut tamen quae forte aliquibus nondum sunt comperta omnium oculis subiiciantur, quaedam saltem decreta ad praxim perutilia placuit in medium afferre, breviterque aunotare.

Decretum I.

In Missis, et divinis officiis celebrandis aliisque functionibus obeundis non pro libito inventi, et irrationabiliter inducti, sed recepti, et approbati Ecclesiae Catholicae ritus, qui in minimis etiam sine peccato negligi, omitti, vel mutari haud possunt, peculiare studium, ac diligentia est adhibenda. Benedictus XIII in Conc. Rom. tit. 15 cap. 1.

II.

Duplicatio antiphonarum praeter diem commemorationis omnium fidelium defunctorum, et diem depositionis defuncti, fiat in diebus 3. 7. 30, *et anniversario. S. R. C. Mart.* 1738.

N. Supervacaneum non videbitur hic describi praecedens decretum, si semel advertatur, in rubricis appositis veteribus Breviariis (quibus plures adhuc utuntur) desiderari sub tit. 1. *de off. dup.* legem duplicandi antiphonas die 3. 7. et 30, atque in anniversario defunctorum. Huiusmodi tamen duplicatio suppletur a Rituali sub tit. *De off. defunctor.* et sub alio *De exeq. abs. corp.*

Quum vero Rubrica V. Missalis unam tantum orationem assignet in Missa, *Quandocumque pro defunctis solemniter celebratur*, (quod ritum duplicem innuit) pronum est hinc inferre, eamdem antiphonarum duplicationem locum obtinere in quolibet officio solemni, etsi unum dumtaxat canatur nocturnum, sicuti e contra eidem denegandum esse, si solemne non sit, quamvis novem etiam dicantur lectiones.

Observant autem auctores, invitatorium, et psalmum *Venite* dici etiam

diebus 3. 7. 30 et anniversario, atque ut decrevit. S. R. C. 9. Maii 1739 quando tres dicuntur nocturni.

III.

Psalmi Lauda, anima mea, Dominum, *et* De profundis *omittuntur in precibus post officium in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, et in die obitus, seu depositionis defuncti dumtaxat; caeteris autem diebus semper, et omnino dicantur. S. R. C.* 3 *Aug.* 1737.

Quae de primo decreto superius dicta sunt, huic quoque applicentur. Veteres enim Rubricae solum diem commemorationis omnium fidelium defunctorum excipiebant.

IV.

Officium pro die tertio, septimo, vel trigesimo post obitum defuncti, si cadat in die Dominico vel festivo, transferetur in diem sequentem cum eadem solemnitate. S. R. C. 23 *Maii* 1603.

In diem sequentem etc. dummodo in eo non occurrat officium 1, vel 2 classis (vel dup. mai. festiv.) ex decreto infra afferendo. Si enim attendantur ecclesiasticae sanctiones, favorabiliores istae fuerunt anniversariis a testatoribus relictis, quam praedictis diebus.

V.

Cum primum accipitur nuntium de obitu in loco dissito alicuius, potest cantari missa de Requiem ut die obitus pro eius anima in festo duplici maiori, vel minori, non tamen de praecepto, ut citius suffragetur anima defuncti. S. R. C. 4 *Maii* 1686.

Hac in hypothesi Missa dicitur quidem ut in die obitus, sed orationes illae sunt, quae praescribuntur pro die tertio sub eadem Missa omisso verbo *tertium.* Si vero ageretur de obitu sacerdotis congrua esset etiam Oratio *Deus qui inter Apostolicos.*

VI.

Missa de Requiem, quae cantatur cum primum accipitur nuntium, ut num. praeced. cantari potest in Vigilia Epiphaniae, minime vero infra Octavas privilegiatas. Ex Decr. S. R. C. 27 Martii 1779.

VII.

In anniversario occurrente in festo duplici secundae classis, non potest cantari Missa de Requiem. S. R. C. 5 Iul. 1698.

Extendatur hoc privilegium ad officium huiusmodi etiam translatum: suis enim non spoliatur iuribus, cum e. g. adhuc excludat commemorationem simplicis in 1 vesp. et in Missa solemni.

VIII.

Anniversaria, sive Missae quotidianae cantatae de Requiem, relictae ex dispositione Testatorum pro certis diebus, hisque impeditis die Dominico, seu alio festo de praecepto, cantari possunt in diebus subsequentibus, seu antecedentibus, in quibus occurrunt officia de duplici maiori, non tamen de praecepto. S. R. C. 4 Maii 1686.

Quamvis liberum sit anniversaria transferre in diebus subsequentibus seu antecedentibus, docent tamen nonnulli consultius esse, illa in sequentibus reponere, ex usu Romano, ne dum festa, sed et defunctorum officia in illos semper transferente. Nisi forte hinc repositio valde esset differenda. Privilegium enim eo potissimum tendit, ut citius suffragetur defunctis. Ut autem privilegium subsistat, debent in primas dies transferri, non in quascumque ad libitum.

IX.

Quando Anniversarium, seu officium solemne pro animabus omnium fidelium defunctorum Confratrum alicuius Congregationis, fit in festo ritus duplicis minoris, potest cantari Missa de Requiem, secus si occurrat in festo altioris ritus. S. R. C. 8 Mart. 1738.

Generalia huius decreti verba inter caetera praescribunt etiam normam tenendam in officiis solemnibus, quae in Ecclesiis ruralibus laudabiliter fieri consueverunt pro defunctis, immediate post solemnem celebrationem festivitatis praecipuae loci.

X.

In Ecclesiis Parochialibus ruralibus, in quibus per annum plerumque unus tantum Sacerdos celebrat, et sine cantu, potest dici Missa de Requiem, quando anniversaria ex Testatorum dispositione, recurrente obitus die, incidunt in festum duplex maius. Non idem tamen dicendum est de diebus 3, 7 *et* 30, *sed servetur Decretum generale editum* 5 *Augusti anno* 1662. *S. R. C.* 19 *Iunii* 1700.

Decretum *generale*, cuius hic et infra iniicitur mentio incipit *Cum sanctissimus*, ac mandat, Missam privatam dicendam esse de officio currenti, cum applicatione sacrificii, ne suffragia defunctis, plus quam par est, differantur.

XI.

Missae privatae de Requiem, corpore praesente, et insepulto dici non possunt diebus, quibus fit de officio duplici, vel aliis a Rubrica vetitis, et quamcumque consuetudinem tamquam abusum abolendam iuxta dispositionem Rubricae V. missalis Romani de Missa defunctorum num. 2 *in fine, et decreta S. Congregationis, et signanter generale* 5 *Augusti* 1662 *servanda esse mandavit. S. R. C.* 10 *Ianuar.* 1693.

Eadem S. R. C. idem sanxit 15 Septemb. 1714. annuente Clemente XI.

XII.

In Missa privata de festo semiduplici, seu votiva, vel de infra octavam, seu de feria non privilegiata potest in penultimo loco dici collecta pro particulari defuncto, puta Inclina etc. *vel* Deus, qui nos Patrem etc. *et similia, sed ob id non est omittenda ulla ex collectis pro tempore assignatis, puta* A cunctis, *vel* Ecclesiae. *S. R. C.* 2 *Decemb.* 1684.

Dum decretum loqui videtur tantummodo de Missa privata, fortasse ut petitioni congrueret responsio, non negat de cantata, et conventuali, cum iura iuribus, quoad fieri potest, concordent oporteat. Rubrica autem V. Missalis non excludit a missa conventuali collectam pro defunctis. Sacra item Congregatio assignat praedictam collectam *penultimo loco* ut ita inhaereat rubricae VII. num. 6 missalis Rom. idem praescribenti.

XIII.

In Missis quotidianis, quae pro defunctis celebrantur, possunt quidem dici plures orationes, quam tres, sed curandum, ut sint numero impares: sicut pro illa Deus veniae largitor *potest subrogari alia, nempe pro Patre, pro Matre etc., dummodo ultimo loco dicatur oratio* Fidelium. *S. R. C. 2 Septemb.* 1741.

Adnotant Rubricarum expositores, primam orationem, in missis quotidianis dicendam esse de eo, pro quo offertur sacrificium praesertim cum constat de mente poscentis celebrationem Missae, proptereaque in missali post Missam quotidianam positas esse multiplices orationes, subrogandas pro casu orationi *Deus qui inter Apostolic.* Qua in hypothesi haec vel substitui poterit orationi *Deus veniae largitor*, vel prorsus omitti, ut, nisi ad decreti normam plures quam tres dicantur orationes, tertio loco ponatur oratio *Fidelium*. Quodsi placeat plures in huiusmodi Missis recitare orationes, haec regula traditur, ut, prima excepta, particulares generalibus, haec vero generalioribus praeponantur, ea ratione qua Decretum orationem *Fidelium* tamquam maxime generalem ultimo loco ponendam indicit.

XIV.

In die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum omnia altaria sunt privilegiata, ex Decr. fel. mem. Pp. Clementis XIII 19 Maii 1761.

XV.

Matutinum defunctorum pro generali eorum commemoratione, in Choro

iuxta Rubricas adimplendum est mane die 2 Novembris, nisi, ut populus commodius et frequentius illi interesse possit, contraria iam faceret consuetudo. Privata tamen eiusdem Officii recitatio absolvi licite potest post vespertinas horas festi omnium Sanctorum. Episcopo praesente recitari potest etiam pridie post completorium Omnium Sanctorum. S. R. C. 4 Septemb. 1746.

XVI.

Post Vesperas huius diei (*nempe festi Omnium Sanctorum*) non fiant absolutiones ad tumulum, ut in aliquibus locis invalet abusus, quae tantum crastina die post Missam fieri debent ex Missali, et Caeremonial. Episcop. Imo nec esset erigendus tumulus in hisce Vesperis, et eo minus accendendi caerei, sed cras tantummodo, ut Romae ubique servatur. Cavalieri in Rubr. de Off. defunctor.

XVII.

In absolutionibus in die Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum non est dicenda tota conclusio in Oratione. S. R. C. 5 Iulii 1698.

XVIII.

In absolutione solemni Defunctorum eadem die, (scilicet die solemni eorundem commem.), quia solent multi circuire sepulcra illud observare debent, quod ultima absolutio facienda erit ad Lecticam mortuorum cum ℟. *Libera me* longiori, et Oratione *Absolve* in numero plurali quae habetur inter Psalmos Graduales, vel in Ritual. Rom.

Ad alia vero sepulcra possunt distribui Responsoria Nocturnorum addendo singulis ℣. *Requiem* etc. Fiat aspersio et incensatio ter scilicet in medio, a dexteris et a sinistris cum orationibus ut in Missali omissis secretis.

Post orationem non dicitur *Requiem aeternam* etc. nisi post ultimam Absolutionem quae fit in medio Ecclesiae, cui additur per Cantores: *Requiescant in pace*. Gavantus Thesaur. Sacr. Rit.

XIX.

In die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum Sacrificia possunt a Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, scilicet vel pro omnibus Fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantum. Ex Decr. S. R. C. 2 Septemb. 1741.

Hoc tamen S. R. C. indultum videtur respicere Missas privatas tantum, non vero solemnem, quae Ecclesiae Universali hac die potius conformetur. Unde in Missa solemni applicatio Sacrificii erit pro defunctis generatim; uti et Gavantus monet de applicatione Sacrificii hac die in Missis etiam privatis.

XX.

Iis in Locis, ubi una tantum celebratur Missa, diebus Dominicis, et festis per annum, dum aliquis mane sepelitur dici non potest Missa de Requiem etiam corpore praesente, sed cantari debet de die, et Missa de Requiem transferri debet ad primam diem non impeditam. S. R. C. 26 Ianuar. 1793.

XXI.

In fine Missae cantatae de Sancto fieri non potest absolutio iuxta lecticam collocatam in plano Ecclesiae, canendo *Libera me Domine.* Ex Decr. S. R. C. die 4 Augusti 1708.

XXII.

Prohibendum est ab Ordinario cantari Responsoria solemnia pro defunctis sive cum pluviali coloris festi vel nigro post Missam de festo, et illicitum declaratur. Ex Decr. S. R. C. 23 Septemb. 1684.

XXIII.

Si cadaver sit pridie vespere terrae traditum (ex rationabili causa) celebrari poterit mane sequenti una Missa cantata ut in die obitus,

dummodo non sit duplex primae vel secundae classis, aut festivum de praecepto. Ex Decr. S. R. C. 7 Septemb. 1816.

XXIV.

Cadavere insepulto, sed non praesente, quaenam Missa dici debeat?

Si cadaver tumulatum non fuerit sed ea, qua decet, religione servetur in loco decenti proximiori Ecclesiae etiamsi in Ecclesia praesens non sit, celebrari potest una Missa solemnis *de Requiem* ut in die obitus diebus etiam festivis de praecepto et duplicibus secundae classis, apposito tamen in Ecclesia lodicis seu nigri panni siguo ab eo diverso, quod in Anniversario adhibetur. S. R. C. 25 Aprilis 1781.

XXV.

Missa tamen unica solemnis insepulto corpore, et praesente celebrari poterit etiam in Dominicis, et festis diebus, non tamen solemnioribus primae classis, ut per Decretum S. R. C. 29 Ianuar. 1752.

Excipiuntur idcirco duae Dominicae, quae sunt duplicia primae classis, nempe Paschatis et Pentecostes: insuper triduum mortis Christi, et omnia duplicia primae classis festiva de praecepto (inter quae numerantur apud minores Solemnitates Immaculatae Conceptionis B. M. V. et S. P. Francisci). Potest tamen cantari in feria secunda Paschae, et Pentecostes, licet sint duplicia primae classis, et festiva. S. R. C. 2 Septemb. 1741. Imo et in aliis duplicibus primae classis festivis de praecepto, quoad Ecclesias, quae talem non habeant extrinsecam solemnitatem; prout etiam in duplicibus primae classis non festivis de praecepto, licet cum multo apparatu, et pompa exteriori celebratis, dummodo non sit festum Titulare. S. R. C. 9 April. 1808.

Denique in Dominica prima Adventus, et Quadragesimae, Dominica Passionis et Palmarum, et Dominica in Albis; eo quod istae Dominicae licet sint primae classis, non sunt tamen duplicia primae classis et revera non excludunt commemorationem simplicium in illis occurrentium (quamvis hanc commemorationem et quascumque alias excludat Missa Dominicae Palmarum). Manual. Ecclesiastic.

XXVI.

Anniversaria perpetua si contingat transferri ultra aliquas octavas privilegiatas, non gaudent adhuc, ut possint celebrari in duplici maiori. S. R. C. 3 Decemb. 1701.

XXVII.

Anniversaria, quae occurrunt absolvenda circa quatuor tempora paschalia, et infra octavam Pentecosten, et non possunt omnia absolvi aut finiri ante octavam SS. Corporis Christi, cantari possunt in diebus subsequentibus seu antecedentibus, in quibus occurrunt Officia de festo duplici maiori, non tamen de praecepto, praecipue de Sanctis proprii ordinis, non relicta tamen Missa in cantu de festo duplici minoris occurrente quatenus adsit onus cantandi. S. R. C. 22 Decemb. 1759.

XXVIII.

In Anniversario translato variari non debet oratio, sed recitanda est prout in Missali. Ex Decr. S. R. C. 4 Maii 1686.

XXIX.

Anniversaria prohibentur in dupl. 1 et 2 classis, in Vigilia Nativitatis D. N. I. C. et in tota eius octava, in Vigilia Epiphaniae et infra eius octavam, fer. 4 Cinerum, in Maiori hebdomada, infra octavam Paschatis, in Vigilia Pentecostes et infra eius octavam, infra octavam Corporis Christi, tandem in omnibus diebus festivis de praecepto, ex Decr. S. R. C. 1741.

XXX.

Ex privata devotione Parochianorum cantari potest Missa de Requiem pro defuncto in festo duplici minori, dummodo sit dies vere anniversaria a die obitus. S. R. C. 19 Iunii 1700.

Quod decretum fidelibus cunctis atque Ecclesiis non minus est favorabile.

At tamen ex Cavalieri si dicta dies impedita fuerit altiori ritu, nequit transferri in diem aliam duplici impeditam, et in ea cantari, cum hoc tantum licitum sit cum a Testatore Anniversaria indicta fuerunt.

XXXI.

Post absolutionem, quae fit super cadaver in die obitus, vel supra tumulum in die anniversario, dicto versiculo *Requiescat in pace*, subiungi debet *Anima eius*, etc.

In Commemoratione vero omnium fidelium defunctorum nihil est super addendum. S. R. C. 2 Decemb. 1684.

XXXII.

Si Missa celebretur pro aliquo determinato defuncto, prima oratio, iuxta Merati, dicatur pro quo Missa recitatur, secunda ad libitum, tertia vero in quocumque casu semper *Fidelium*. Merati Part. 1. Tit. 1.

XXXIII.

Quoad aspersionem, et incensationem in exequiis solemnibus ad feretrum haec habentur ex Rubrica 13 Missalis Romani.

Celebrans (stans) in capite loci inter altare, et tumulum, aliquantulum versus cornu Epistolae, et Subdiaconus cum cruce ad pedes tumuli, cantatur *Libera me Domine*, et circa illius finem ponit incensum in thuribulum, benedicens illud more solito, ministrante Diacono naviculam; et finito *Kyrie eleison* incipit intelligibili voce *Pater noster* et secreto prosequendo reliqua accipit aspersorium de manu Diaconi, et circumiens tumulum aspergit aqua benedicta, ter a parte dextera, et ter a sinistra, et eodem modo, quo asperserat, incensat.

Ad quae Cavalieri Tom. 3 tit. *De exequiis Adultorum addit:* Sacerdos locatus ut supra, circumiens feretrum per latus dexterum (defuncti, seu Crucis) ter hoc aspergit scilicet in pede, medio, et capite,

(eo quod defunctus, dum viveret insignitus fuerit signaculo SS. Trinitatis) deinde ter aspergit sinistrum latus, sed prius in capite, deinde in medio, et pede: et hoc sive cadaver sit praesens, sive absolutio fiat ad coenotaphium, idest tumulum.

XXXIV.

In exequiis solemnibus alicuius defuncti in trina aspersione et incensatione per quodlibet latus cadaveris, vel tumuli, satius est si simplicitas in hoc effulgeat. Ex Manual. Ecclesiastic.

XXXV.

In exequiis tamen non solemnibus sive corpore praesente, sive non, sufficit, ut Celebrans sine circuitione ter ducat aspersorium super feretrum vel tumulum, nempe in medio, a latere dextero, et a sinistro. Ex Manual. Ecclesiastic.

XXXVI.

In exequiis Sacerdotis, corpore praesente, locata Cruce inter feretrum, et altare, et Celebrante inter feretrum et fores Ecclesiae, aspersio, et incensatio incipiendae pariter erunt a parte dextera Crucis scilicet in pede (Vid. supr.) Ex Manual. Ecclesiastic.

XXXVII.

In absolutionibus vero ad tumulum, licet pro Sacerdote, quando cadaver non est praesens, crux collocanda est inter tumulum, et fores Ecclesiae, et celebrans inter altare et tumulum. Ex Caerem. Episcop. lib. 2.

XXXVIII.

In exequiis dum post orationem celebrans dicit *Requiem aeternam* facere debet manu dextera signum crucis super feretrum vel tumulum. Ex Manual. Ecclesiastic.

S. CONGREGATIONIS INDULGENTIARUM

RESPONSA

Quaeritur 1° Utrum Sacerdos satisfaciat obligationi celebrandi Missam pro defuncto, servando ritum feriae vel cuiuscumque Sancti etiamsi non sit semiduplex, vel duplex?

2° Utrum qui privilegium habet personale pro quatuor Missis in hebdomadis singulis, debeat cum paramentis nigro colore celebrare diebus non impeditis, ut possit indulgentiam plenariam pro animabus defunctorum lucrari?

3° Utrum qui celebrat in Altari privilegiato pro singulis diebus debeat semper uti paramentis nigris, diebus non impeditis, ut indulgentiam privilegii consequatur?

4° Utrum ad lucrandam indulgentiam plenariam orationi -- *O bone et dulcissime Iesu....* concessam, necesse sit aliam orationem addere pro intentione summi Pontificis?

5° Utrum ad indulgentias applicabiles crucibus, rosariis, etc. alius ritus sit necessarius praeterquam signum Crucis a sacerdote, qui hanc facultatem accepit, factum?

6° Utrum indulgentia concessa cadat solum in Christo ex aere, ligno vel alia quacumque materia facto, ita ut possit ex una cruce in aliam transferri absque periculo amittendi indulgentiam ipsi collatam?

Sacra Congregatio indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita ad superiora dubia sic respondendum esse censuit:

Ad 1^m^ Affirmative -- Ad 2^m^ Negative -- Ad 3^m^ Ut in secundo -- Ad 4^m^ Negative -- Ad 5^m^ Negative -- Ad 6^m^ Affirmative.

In quorum fidem, etc. Datum Romae ex Secreteria eiusdem sacrae Congregationis indulgentiarum die 11 Aprilis 1840.

» C. Card. CASTRACANE, Praefectus

» HANNIBAL GINNASI, Secret.

Dubium I. Per decretum S. Congr. indulgentiarum datum die 12 Iunii 1822 conceditur, confessionem sacramentalem peractam *infra hebdomadam ante festivitatem* suffragari posse ad indulgentiam lucrandam.

Quaeritur 1° An verba *infra hebdomadam* significent octo dies tantum quae festivitatem immediate praecedunt; an vero hebdomadam illam totam et integram, quae ante festum decurrit, ita ut ex gr. confessio facta die dominica suffragetur ad lucrandam indulgentiam die Sabbati hebdomadae sequentis, in quam dies festus incideret, tametsi tunc 13 dies inter confessionem et festivitatem intercessissent?

Q. 2° An confessio octavo die ante festivitatem peracta vi huius indulti suffragetur tantum ad unam indulgentiam lucrandam, an vero per hanc confessionem aliae etiam lucrifieri possint indulgentiae, quae infra praedictum tempus occurrerent et ad quas lucrandas sacramentalis confessio caeteroquin requireretur?

Dubium II. Quaeritur an, cum in Bulla vel Brevi quo conceditur indulgentia confessio tamquam conditio *sine qua non* praescribitur, necesse sit ut sacramentalis absolutio poenitentibus detur ad indulgentiam lucrandam?

Sacra Congregatio indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita respondendum esse censuit:

Ad dubium primum:

Ad primum -- affirmative quoad primam partem; negative quoad secundam;

Ad secundum -- negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam;

Ad dubium secundum: Respondetur, Negative.

In quorum fidem, etc. Datum Romae ex Secreteria eiusdem Sacrae Congregationis indulgentiarum die 15 Decembris 1841.

» C. Card. CASTRACANE Praefectus.

SERIES CHRONOLOGICA EPISCOPORUM

QUI A PETRO SOLARIO

AD SANCTAM EUSEBII SEDEM

EVECTI FUERE. *

IOANNES PETRUS SOLARIUS Ludovico Comite et Anna Maria Defilippis Parentibus Astae Pompeiae humana induit 6 Ianuarii 1696. Clarissimum illi genus ac olim ingens opibus familia, utpotequae, medio currente aevo, in civitate facile princeps inter primores, eius potissimum auctoritate clientumque numero ac viribus, inter factionum strepitus plebiscita persaepe sancirentur.

Inter Canonicos Metropolitanae Taurinensis cooptatus Kal. Martii 1718, Episcopus Vercellensis renuntiatur 15 Iunii 1743, Romamque profectus, ibi die 25 Iulii subsequentis, ab ipso Summo Pontifice Benedicto XIV sacratur. Insessa privatim Eusebiana Sede 11 Septembris, solemni mox pompa die 4 Novembris eiusdem anni venerabunda civitas optatum Pastorem excepit.

Adnumeratum inter praesulis optima, summa qua usus est diligentia, ut Cleri mores sanctitatem et doctrinam redolerent, tantoque fervore operi incubuit, ut Clemens XIII ipsi benigne gratularetur, quum Eusebianam Ecclesiam tam laudabiliter tamque sancte administrari dignovisset. Rei itaque perficiendae, nunquam intermissa cura, intentus Synodum habuit diebus 15. 16. 17. 18

* De iis qui praeivere videnda ipsius Solarii Synodus.

Iulii 1749, cuius Canones, veluti pulcherrimum ecclesiastici moderaminis monumentum, Dioecesis disciplinas hucusque rexere.

Decem ferme aureorum millibus urbis nostrae pauperes testamento solatus est, egregioque hoc Christianae liberalitatis exemplo de hospitio tunc temporis exordiente optime meruit; nam civium pietatem ut sanctissimo operi faverent excitare sategit excitavitque.

Vir quidem corpore exiguus, at solers, pius, actuosus, omnibus comis, atque ad meliora quaeque capessenda promptus commune illud effatum confirmare visus est, homines non institoris aut propolae cubito, sed vitae bonitate, et patratorum magnitudine et utilitate metiri.

Cum tandem nihil illi reliquum aliud agendum esset quominus vigilantissimi Praesulis gloria apud posteros frui non liceret, cunctis moerentibus in osculo Domini quievit 20 Ianuarii 1768.

VICTORIUS MARIA CAIETANUS Balthassar Costa de Ariniano Cardinalis antiquae domus claritate inlustris at omnimoda virtute inlustrior, Taurini oritur 13 Kal. Februarii anni superioris saeculi septimo et trigesimo. Inter bonarum artium studia iuventae stadium emensus, iuris utriusque et humaniorum literarum duplici laurea donatus sacris initiatur, vixque tricesimo aetatis anno expleto, Ecclesiae Vercellensi praeficitur, auspicatoque Romae sacratur 11 Kal. Octobris anno 1769. Praeclare per octonium sanctissimo munere functus, urbis Archipraesulatu insignitur, Magnusque Regiarum largitionum ab Victorio Amedeo III dictus amplissimo Cardinalium Coetui a Pio VI, Rege ipso deprecante, adscribitur. Sacras doctrinas cum omni politiorum disciplinarum cultu ita coniunxit, ut apud eruditissimum quemque, eruditissimus et ipse domi forisque claruerit; neque absurde a pluribus vulgatum, Carolo Deninio Canonico Cracoviensi politicam Italicarum vicissitudinum historiam elucubranti opem consilio manuque tulisse.

Comitia Synodalia habuit adeo probata, ut veluti egregium

huiusce generis institutionum specimen Pius VI P. M. exquisitis laudibus dignaretur efferre. Neque minus facundiae in literis pastoralibus, quae postea typis mandatae, publicique juris factae fuere, conscribendis, homini inerat. Pia effusaque largitate pauperes indesinenter fovit, eoque gratior apud posteros praestantissimi largitoris memoria manet quod clam erogaret, ac numquam sat laudanda modestia illud sanctae liberalitatis officium subtegeret.

Altero demum fatiscente saeculo, quum, Bonapartio duce, Alpium maritimarum iuga enisus Gallorum exercitus hostiliter regno ingrueret, Claracensium pactionum potissimus suasor, difficillimis rebus quam maturrime subvenit, pauloque post senio aeque ac aerumnosorum temporum vicibus confectus, immedicabilemque morbum nactus, mortalia exuit aeternum victurus die 16 Maii 1796. Seminario haerede ex asse scripto; Parentalibus adstitere proceres, eminentissimumque virum laudibus extulit Franciscus Regis eloquentiae sublimis in Regio Taurinensi Athenaeo antecessor.

FILIPPA CAROLUS IOSEPH Taurinas e Martinianae Dinastis, gentiliumque suorum virilis sexus postremus, clericali militiae nomine dato, optimi Principis Caroli Emanuelis III providentia Ecclesiae Mauraniensis infula juvenis adhuc donatur, sciteque ac vigilanter commissam sibi Dioecesim annis duodeviginti administravit. Inclito inde Cardinalium ordini adscriptus, opimoque Sanctae Mariae de Casanova Sacerdotio Victoris Amedaei III munificentia cumulatus, Eusebianae Ecclesiae imponitur, ob morum dulcedinem, comitatem, ac quamdam oris vultusque suavitatem omnibus ordinibus acceptissimus: Opibus innocenter tam virtute quam Principis indulgentia partis liberaliter usus est, nobilique apparatu instructa domo, splendide sacrum principem egit, inoffensa modestia; neque minus boni praesulis nomini honorabile quod lectissimos viros generis nobilitate, morum castitate, scientia, omnigenaque virtute conspicuos in familiam adsciverit, inter quos adnumerari gloriosum summe ducimus Iosephum Grimaldium, ac Franciscum Alciatum ad apicem Episcopatus evectos.

Extremo alterius saeculi anno Victorem Emmanuelem tunc Augustae Praetoriae Ducem Taurino prohibitum, auxiliariis avitam ditionem obtinentibus, laute hospitatus est, donec adversis impellentibus fatis Sardiniam adnavigaret.

E Venetiis redux, quo adpulerat ut sacris comitiis, quibus Pius VII ad summum Pontificatum assumptus est, suffragator interesset, adeo faustis vocibus exceptus est, ut pene oppletae civium advenarumque urbis viae vix aegreque optatissimo Pastori palatium appropinquare darent. Primo instantis saeculi anno Bonapartium Consulem e Penninis alpibus inopinato cum exercitu erumpentem invisens, benigne a celebratissimo viro suscipitur, venerabilemque senem humaniter alloquens, quo aliquem clari nominis hominem Romam mitteret deprecatus est, Catholicae Religionis cultum iamdiu apud suos famosis calamitatibus infirmatum instauraturum se fore pollicitus.

Senecta tandem taedioque praesentium fractus pie sancteque occubuit annum agens septuagesimum octavum, nam primus illi dies 10 Kal. Iul. 1724 Taurinis, postremus 7 Id. x.bris 1802 illuxit Vercellis.

Caeterum quominus maiora eius liberalitatis monumenta testamento manerent, temporum vices deminutaeque res familiares obstitere.

CANAVERI IOANNES BAPTISTA apud Uneliates Ligurum in oppido quod Marum vocant modicis Penatibus natus est 9 Kal. Octobris 1753, in eamque familiam, quam Philippus Nerius Florentinus sanctissime Romae instituerat, e cuiusque sinu excultissimi quaque versus alumni Sacerdotesque prodiere, primaeva in iuventa Taurini Sacerdos cooptatus est. Acre ingenium, et ad quascumque velis disciplinas perdiscendas aptum, Dei dono, nactus, adeo studio ac labori incubuit, ut brevi inter conlegas doctrina sacraque ac profana eruditione clarescerct, subitariaque selecte dicendi facultate ac concionandi praestantia inter optimos

haberetur. In critices scientia multus de scriptorum operumque virtute lucide consulteque disserebat, districtoque stylo suam in librorum oris sententiam, notulis argute concinnatis, excribebat.

Viduis nobili vel honestiori loco natis in fortunae tenuitate delapsis, quaeque in secessu urbem prope extructo, per Principis munificentiam alebantur, diu in divinis prudentissime praefuit, adeo a Carolo Emmanuele IV, et Maria Felicitate eius amita, piae domus Patrona probatus, ut providus Rex in Bugellensem Episcopum ipsum assumeret.

Gallis Subalpinos obtinentibus, episcopaliumque sedium mutatis ordinibus, anno 1805 Vercellensi Dioecesi regundae praepositus, scite viriliterque lectissimi gregis bono consuluit; par vigilantiae solertia.

Varia hominum ingenia, temporum vices, adiunctaque optime callens imperitantibus acceptissimus fuit, aulicisque honoribus auctum Napoleo iam tum Imperator secretarum largitionum distributorem apud matrem, eiusque a penitioribus consiliis renuntiavit; neque praedives foemina aliquem honoratiori in loco habuit, aut potiori gratia apud ipsam eo valuit.

Quum firma adhuc valetudo, neque sat provecta aetas multum adhuc vitae diem portenderent, extemplo exitiali morbo correptus, mortalibus valedixit Vercellis Idib. Ianuarii 1811.

GRIMALDI IOSEPII MARIA Parentes veteri nobilitate inlustres sortitus est Montiscalierii 3 Non. Ianuar. 1754. florentibus annis ad sacra vocatus inter Caroli Iosephi Cardinalis Martinianei clericos, uti iam innuimus, honoris causa famulantes adscitus, summa apud eminentissimum Patronum gratia viguit, ipsoque suffragante, Eusebianae Basilicae Cantor Maior dictus, Seminarii Praefecturam obtinuit, domo ad Divi Caroli Borromaei normas e vestigio instituta. Pineroliensi Sede ad quam evectus Sacratusque Romae fuerat 8 Idus Augusti 1797 sublata, Eporediensem ascendit Kal. febb. 1805. Francisci Salesii placitis obsequens, sanctimoniales

sub Visitationis nomine profitentes, quibusque lege vetabatur ne prisco more in asceteriis coalescerent, privatim collegit, Pinerolii primum, parique pietate mox Cisterciensis aliorumque ordinum virgines Eporediae commorantes, quo vota rite solverent, sub eodem tecto manere iussit, donec Sabauda Domo in regnum feliciter restituta, eas solemni ritu, canoniceque clauderet. Neque omittendum putamus, eximium Praesulem eodem animo adversus urbis nostrae Clarissas egisse tum cum laudabili largitate ductus, aere suo, reciperato purgatoque Patronae Nuncupatricis templo, sacrum penetrale reseravit, easque antiquis in sedibus conlocavit.

Bis, etsi non sat firmiter corpore valeret, Parisios adiit primitus cum Pio VII congressus, qui tunc temporis Gallias Principemque urbem petierat Napoleonem gentis voce Imperatorem consalutatum sacraturus. Alterum iter Galliae Italicique Regni episcopis comes suscepit, imperantium postulatis simul responsuris; neque difficillimo operi mens impar; nam sacra Romanae Sedis iura constanter tutatus est, nulla spe meliorum allectus, nullo deterritus discrimine.

Quum Supremo Pii VII P. M. Oraculo Eusebiana Sedes sexto dec. Kal. Augusti 1817 ad Archiepiscopale fastigium extolleretur, Eporediensi, ipso annuente, dimissa, omni bono plaudente, Vercellensem, quam antea administraverat, Ecclesiam regundam suscepit.

Qua suavitate, qua sapientia, quibus denique virtutibus sanctissimo munere functus sit omnes novimus. Quo autem zelo pro Divini cultus splendore flagravit, documento sint Sancti Andreae templum, pulcherrimum apud Subalpinos gothogermanicae architecturae monumentum, ipso sedente dataque pecunia Deo redditum. Ipso instituente Oblatorum Conlegium ibi conlocatum, ipsoque iubente, sancti Pauli Praedicatorum et sancti Francisci Conventualium aedes parrochialibus muniis obeundis aptatae; nam sancti Thomae et Agnetis ecclesiae, veluti fidelium numero impares exoleverant. Pari etiam studio, quo sancti Spiritus templum sub-

structionis elegantia conspicuum instauraretur, utque parentibus orbatae puellae salubriori in sede, puriorique in aere manerent, sapientissime curavit. Monasterium sanctae Margaritae perutili Sororum Charitatis Instituto sub protectione sancti Vincentii a Paulo dicavit. Orationi iugiter incumbere solemne habuit, quin constans hoc pietatis officium Pastoralis Ministerii muneri offecerit; neque de summa eius prudentia dubitandum, cum optime cuique pateat, multa apud rerum potitos gratia valuisse, inoffensoque pede per septas undique sentibus vias tot per annos deambulasse.

Dum autem lustrata partim Dioecesi sancto operi manum admovere atque perficere in animis esset, lethalem in morbum offendit, omnibusque illacrymantibus vita piissime concessit Kal. Ianuar. 1830, supremis tabulis Cathedrali sacrario et Seminario haeredibus nuncupatis.

Parentalia ob virtutum memoriam solemnia fuere, defunctique laudes elegantibus orationibus Carolus Maria Costa de Turri I. U. D. Eusebiane Basilicae Canonicus primum, Colombus S. T. M. Philosophiae rationalis in Seminario antecessor secundo dixere.

D'ANGENNIUS ALEXANDER Vincentius Ludovicus cui inlustris apud Allobroges vetusque familiae origo, Taurini genitus est idib. Iun. 1781 Marchione Carolo patre, praetorianorum Regii corporis custodum centurione. Adolescens sacrae militiae adscriptus ingenuarum artium cultui hebraicae linguae studium copulavit, Viro clarissimo Amedaeo Peironio condiscipulo, Thoma autem Calusio subalpinorum doctissimo magistro, deque cuius omnimoda sapientia, mirabilique morum castimonia ac suavitate pari facundia ac elegantia disseruit Carolus Bucheronius.

Metropolitanae Taurinensis primum honoris causa Canonicus, atque Xenodochii Castrensis in Divinis Rector, moxque Vigoni Praepositus, in Episcopum Alexandrinum, ipso acriter renuente, Romae inungitur 15 Kal. Aprilis 1817, postque lustratam Dioecesim, ibique

habitam Synodum die 2. 3. 4. Iunii 1829. Gregorio XVI indulgente nobilissimo Eusebiano Pallio exornatur. Archidioecesim, populo ubique laetante, invisit, splendidoque posthac apparatu ac pene totius Cleri affluentia solemnem Synodum celebravit.

Ut gestarum rerum interim firmior memoria maneret tabulam eleganti artificio efformari caeloque exarari iussit, sacerdotum, qui interfuere, nomina, officia ac dignitates referentem. Quo Seminarii aedes latiori ambitu productae absolverentur, alumnorumque numero commodisque praesto essent, adhibito Administratorum consilio pro virili curavit, Philippi Iuvarii celeberrimi apud nos Architectoris Archetypos secutus. Optimi religiosissimique Principis Caroli Alberti Regis Munificentia magnis Mauritianae militiae et sanctissimae Annunciationis Torquibus nuper donatus est; utque Sacratissimum Pastorem ad maiora nitentem D. O. M. diu incolumem sospitemque servet, summum ipsum omnium bonorum Largitorem supplices enixeque adprecamur.



INDEX

APPENDIX AD SYNODUM